



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Liber IV. Physicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

INTER motus omnium præcipuus lationis motus annumeratur, cuius terminus est præsentia, & locus, ideò postquam Aristoteles egerat de motu, & de illius affectione, videlicet infinitudine, modo agit de præcipuo illius termino, seu de termino præcipui motus loco, & vbi. Disputationi de loco disputationem de vacuo annectit Aristoteles quæ quasi priuatiuè opponuntur, & his adiungit disputationem de tempore propter affinitatem materierum, & quia sicuti ens naturale est in loco, similiter in tempore existit.

CONTROVERSIA XV.

De loco, & vacuo.

DOCEAT nos oculata experientia corpora huc illucque moueri, & diuersas acquirere distantias, diuersasque cum aliis approximationes fortiri. In quocumque motu seu acquisitione præsentia apprehenditur corpus præsentia cavitatem quandam replere, quæ antea alio corpore occupabatur, & vacua esset, si nullum illi corpus adueniret, quàm cavitatem, spatium imaginarium appellamus. Hinc triplex huius controuersie materia. Quid locus extrinsecus? Quid spatium, seu illa cavitates apprehensa sit? Quid præsentia, seu vbi intrinsecum, & quomodo hæc omnia corpori conueniant.

PVNCTVM PRIMVM.

De loco extrinsecò reali.

1 Nonnulli locum extrinsecum ab vbi intrinsecò non distinguunt quorum aliqui vbi intrinsecum rei superadditum negant, alij verò illud concedentes asserunt, non ab illo locum extrinsecum distinguunt. Antiqui alij, quos hic impugnat Philosophus, asseruere locum esse interuallum reale, seu spatium interstitium, & hoc quidem asserunt esse immobile, & indiuisibile, non quia careat partibus extensis, sed quia nulla vi secari possit; sententiam hanc sequuti sunt postea Galenus, & Philosophus eodem 4. Physicorum. Alij mitius hoc interuallum explicant asserentes non esse reale, sed esse capacitatem realem habentem hanc trinam dimensionem, quam capacitatem spatium imaginarium appellant, non quia non sit à parte rei, sed quia neque habet, neque habere potest existentiam realem. Locum intrinsecum in hac capacitatem, seu in hoc imaginario spatio formaliter constitutum prædicti cognoscebant.

2 Sententias has omnes confutat definitio loci extrinseci ab Arist. tradita in hoc 4. Physic. cap. 4. n. 42. *Ultima superficies corporis continens immobilis primo*, id est, concava superficies alicuius corporis, quod intra suum gremium aliud continet, quod contentum locatum dicitur, & continens locans appellatur. In hoc corpore continenti rationem loci extrinseci sitam esse probat communis om-

nium loquendi modus, & omnium apprehensio, dicimus enim Petrum esse in cubiculo non alia ratione nisi quia cubuli parietibus continetur, & aquam esse in vase, aliaque huiusmodi, quorum nulla alia est ratio nisi quia corpora contenta in continentibus tanquam in locis apprehendimus. Hæc corpora continentia seu localia distinguuntur ab vbi intrinsecò locorum constabit punct. 3. vbi naturam vbi intrinseci explicabo. Ex hoc reiecta manet prima sententia: duplex alia ex eodem principio reicitur, secundò quia spatia illa sunt purè ficticia, & tantum obiectiuè in intellectu existentia, vt ostendam puncto sequenti. Deinde quia percipi nequit aliquid reale, quod existentiam realem habere non possit.

Secundum hanc definitionem locus extrinsecus corporis est superficies illa corporis contigui, qua cingitur, vt superficies aeris respectu turris, & superficies aquæ respectu naui secundum partes illas, quæ aquis submerguntur. Difficultas est quomodo intelligenda sit illa particula *immobilis*. Nominales, quibus adherent Conimb. quest. 1. art. 2. dicunt locum extrinsecum esse immobilem motu locati, hoc est non moueri motu locati, quia si eodem motu locatum, & locans mouerentur, numquam possent separari, & semper locatum eodem loco contineretur. Fateor non eodem motu moueri motum, & locatum, verumtamen ex hoc capite locus immobilis non dicitur, eadem enim ratione locatum immobile dici potest, sicut enim locus non mouetur motu locati, ita neque locatum loci motu mouetur. Neque ex eo quod diuerso motu moueantur inferitur non posse simul moueri sicuti de facto mouetur aqua in vase contenta, de qua insurgit difficultas, an cum mouetur intra idem vas locum extrinsecum mutet, quam difficultatem vitare contendebat prædicta sententia. Vera explicatio huius particule, quam apud Rubium lib. 4. tr. 2. de loco quest. 2. & apud Tolet. lib. 4. Physic. cap. 4. plurimi tradunt, subsistit, si dicamus locum esse immobilem, quia dicit continentiam locati cum hac distantia. Vnde si aqua in vase moueatur iam non retinet eundem locum, quia licet eadem sit superficies, in qua continetur, hæc tamen non continet aquam cum eadem distantia, seu æquè distantiam ab aliis corporibus. Hac ratione locus immobilis est, quia tantum in hoc spatio potest superficies continere corpus hoc modo distans ab aliis.

Verumtamen adhuc restat explicandum, an locus dicat formaliter hanc superficiem ambientem, & hanc locati præsentiam, seclusa præsentia superficiæ ambientis à ratione formali loci, licet ipsa necessaria sit vt superficies possit corpus existens cum hac præsentia ambire. Multi sentiunt locum dicere formaliter hanc superficiem continentem, & hanc præsentiam corporis contenti, qui locum extrinsecum inadæquatè tantum distinguunt ab vbi extrinsecò, & asserunt aquam in vase contentam simul cum illo motam mutare locum extrinsecum non formaliter ex-

eo, quod vas præsentiam mater, sed quia ipsa aqua mutat præsentiam, & distantiam ab aliis corporibus, ratione cuius non continetur ab eadem superficie cum eadem distantia in ordine ad alia corpora. Addunt insuper locum extrinsecum supra intrinsecum ubi addere non hanc numero superficiem ambientem, sed hanc, vel illam sub distinctione, ita ut dum corpus contentum sit idem cum eadem præsentia existens, & aliqua superficie circundetur, siue hac, siue illa distincta semper eundem retineat locum, sicuti erit idem homo cum sit eadem natura cum aliqua subsistentia, etiam si subsistentia non sit eadem, sed modo hac, modo illa. Hac ratione defenditur turrin in eodem spatio permanentem semper habere eundem locum, etiam si modo hac aeris superficie postea alia distincta ambiatur. Alij sentiunt locum pro materiali dicere superficiem ambientem, & pro formali præsentiam huius superficiæ seclusa præsentia locati à ratione formali loci. Ego sentio locum dicere superficiem ambientem pro materiali, & pro formali præsentiam huius superficiæ, ratione cuius locus immobilis dicitur, quia concretum, videlicet superficies hic præsens, seu superficies cum hac præsentia immobilis est. Addo locum in actu secundo formaliter locantem dicere formaliter præsentiam corporis locati, quia formaliter dicit continentiam locati, & hac importat talem approximationem locantis ad locatum, quæ intelligi nequit sine utriusque præsentia. Hoc de loco in actu secundo, seu de loco actu locante, & continente locatum certum puto. De loco in actu primo, seu quatenus dicit capacitatem continendi locatum cenfeo dicere ordinem ad præsentiam corporis locati, non tanquam ad aliquid, quod constituit actum primum potentis continere localiter, sed tanquam ad ipsam locationem quæ dicit applicationem inter locantem, & locatum, quæ approximatio essentialiter includit præsentiam utriusque, quæ præsentiarum simulatas se habet per modum actus secundi respectu loci, qui se tenet ex parte actus primi, locus enim dicit corpus potens continere, & continentia, quæ est actus secundus huius potentie consistit in coexistentia præsentiarum loci, & corporis locati.

Ex his infero idem corpus existens in diuersis spatiis non posse habere eundem locum, quia eo ipso, quod corpus contentum sit in diuerso spatio, corpus continens, quod illi est approximatum est etiam in diuerso spatio, & diuersam habet præsentiam, quæ est forma constitutiva loci, ac proinde est diuersus locus formaliter superficies aeris continentis existens in hoc spatio ab eadem superficie in alio existenti. Secundò infero diuersam esse locationem respectu eiusdem corporis ambientis cum eadem præsentia eo ipso quod sit diuersa præsentia locati etiam in eodem spatio adequato vel ratione diuersi locati, vel quia idem locatum in eodem spatio adequato secundum omnes sui partes diuersas acquisiuit præsentias, sicuti cum rota mouetur motu circulari. Infero terriò motum localem per se, & primariò non terminari ad locum extrinsecum, neque ad locationem adequatam, quia tantum terminatur ad propriam præsentiam locati, quæ locum non constituit, neque per se solam est locatio, quia hæc consistit in præsentia locati, & in præsentia loci. Dicitur motus localis secundariò terminari ad locum non secundum se, sed ut acquirendum, hoc est ad locationem, quia terminatur ad præsentiam, quæ ex eo quod coniungatur per accidens cum præsentia loci constituit cum illa locationem, per quam locus in actu primo dicitur actu secundo locans, & corpus contentum dicitur actu locatum.

PUNCTUM II.

Quid sit spatium imaginarium.

Altequam corpus præsentiam acquirat concipimus semper præexistere capacitatem quamdam, quam corpus adueniens replet, ita ut illo posito non possit in sensu composito corpus aliud illi aduenire, quam capacitatem spatium imaginarium Philosophi appellant. Est quæstio an hoc spatium verè detur à parte rei, vel an sit solum, quod ipsa vox indicat aliquid tantum imaginarium, seu mente confictum. P. Albert. tom. 2. disp. vnica de prædic. Vbi, quæst. 2. multum inclinat in sententiam asserentem dari hoc spatium à parte rei, & argumenta,

quæ oppositum suadent dissoluere procurat. Pert communis sententia spatium hoc esse purum figmentum tantum habens existentiam obiectiuè in intellectu. Ita P. Valquez, P. Fasolus, P. Moncaus, P. Hurtadus, P. Ariaga quos infra dabo, & ferè omnes, qui de hac re accuratè tractant, quibus ego subscribo. Ratio huius conclusionis omnibus præsto adest. Hoc spatium imaginarium concipitur existens ab æterno, sed nihil reale creatum fuit existens ab æterno: ergo non est ens creatum: sed non est aliquid increatum: ergo neque creatum, neque increatum: ergo nihil. Confirmatur: si spatium imaginarium esset aliquid creatum, dependeret à Deo: ergo Deus posset subtrahere concursum, quo illud conseruabat: ergo posset illud destruere, & in nihilum redigere, sed non potest Deus destruere, seu annihilare spatium imaginarium: ergo non est aliquid dependens à Deo, sed non potest esse aliquid independens, quia quicquid est à parte rei distinctum à Deo dependet ab illo: ergo neque aliquid dependens neque independens: ergo nihil, quia inter hæc extrema non datur medium.

Respondet P. Albert. num. 15. non esse absurdum illud spatium secundum illam non repugnantiam, quam habet semper fuisse, & semper fore, nec fuisse efficienter factum à Deo, quia non est aliquid reale, licet aliquo modo dependeat à Deo, quia si non esset Deus, non esset corpus reale, neque consequenter daretur tale spatium, quod est essentialiter capacitas receptiva corporis realis. Sape fitetur Pater Albert. spatium hoc non posse habere existentiam realem ita expressè num. 14. & iterum hoc num. 15. & 17. asserit tamen, hoc spatium non esse negationem, seu capacitatem negatiuum, sed capacitatem posituum, ita num. 16. Affirmat similiter dari à parte rei, ita num. 3. & n. 12. sanè mens mea hæc conciliare non valet, neque concipere potest dari aliquid posituum à parte rei, & hoc non habere, neque posse habere existentiam; quid enim est aliud, esse à parte rei, quam esse existens? & quomodo illud quod existentiam habere nequit, erit à parte rei? Verge, non ex alio capite dicimus chimæram purum esse figmentum, & tantum habere esse obiectiuè in intellectu, nisi quia non potest habere existentiam à parte rei, sed spatium imaginarium in sententia Albertini non potest existere à parte rei: ergo est purum figmentum.

Alij magis attemperatè respondent spatium imaginarium esse quid negatiuum, ita non indigere actione positiua ut existat, & potuisse esse ab æterno. Solutionem hanc rectè impugnât Albertinus num. 16. & Moncaus quem postea referam, & alij plurimi in hunc modum: Si spatium imaginarium esset quid negatiuum, esset negatio repugnantie corpori ad existendum in illo: sed repugnantia est negatio: ergo esset negatio negationis: sed negationis nulla datur negatio, quia non esse negationis est esse habitus cuius est negatio: ergo non repugnantia non potest consistere in negatione, sed necessario fita est in non esse negationis, quod est esse habitus positiui, cuius est negatio, cum qua priuatiue opponitur oppositione mutua inter extrema, quorum quodlibet est non esse alterius. Secundò spatium, non consistit in negatione corporis cum hac præsentia, quia hæc dicit negationem corporis cum hac præsentia, quæ destruitur per existentiam corporis cum hac præsentia, sed spatium imaginarium non destruitur per existentiam corporis cum hac præsentia, ex vi cuius constituitur in hoc spatio: ergo spatium non consistit in negatione corporis cum hac præsentia. Maior ex ipsis terminis patet: consequentia est legitima: minorem probo, si corpus ex vi huius præsentie destrueret spatium, non posset ex vi illius constitui in spatio: sed si datur hoc spatium corpus ex vi huius præsentie constituitur in hoc spatio, & illud occupat: ergo ex vi eiusdem præsentie non potest illud destruere. Maiorem probo: cetera patent. Nihil potest occupare id, quod non est in rerum natura, neque esse in aliquo, quod non est: ergo si corpus occupat locum quando habet præsentiam hanc, & est in tali loco, tunc debet esse locus occupatus, in quo fit.

Obiicit Albertinus: Deus potest extra Cælum facere plures mundos, & vnū distantem ab alio: ergo inter vnū, & aliud intercederet hoc spatium. Probat antecessens: potest Deus supra vltimam Cæli spheram ponere columnam quamdam sicuti de facto dicit Sanctus Thomas esse corpus Christi pedibus tangens vltimam partem Cæli reliquo corpore

corpore in vacuo constituto: sed tunc una pars columnæ distaret ab alia, seu clarius in Christi corpore, tunc caput Christi distaret à pectore per spatium omnino vacuum: ergo secluso alio quocumque corpore est distantia inter corpus & corpus: ergo secluso alio quocumque corpore est spatium inter corpora distantia, ratione cuius distare corpora dicuntur. Secundo sic antecedens confirmat, fingatur funis à pariete in parietem, seu à primo Cælo vsque ad vltimum, & per diuinam potentiam annihilentur reliqua corpora intermedia: tunc primum Cælum ab vltimo distabit per totam distantiam, quanta est distantia funis: ergo etiam illi mundi, qui essent extra Cælum distarent, de quibus eadem est ratio.

Rationes Albertini antecedens non extorquent, non enim dat cælum, in quo duo corpora distent inter se nullo alio termino posito inter vtrumque, quia partes corporis Christi in illo casu distarent ratione aliarum partium eiusdem corporis interiacentium inter partes distinctas v. g. caput à pedibus distaret ratione corporis inter pedes & caput interiacentis, & primum cælum ab vltimo distaret ratione funis protracti ab vno cælo in aliud, cui esset in vtrumque cælum, cui posset, & non spatio distantia tribui. Hæc de rationibus quibus Albertinus antecedens illud stabilit, quid de illius veritate paucis dicam. Corpora extra cælum posita non sibi neque alij corpori contigua, & parietes huius cubiculi destructo aëre intermedio, præsentias habent ex se capacitatem continendi alia corpora inter se tanta extensione affecta, quod ex natura præsentiarum proveniret, possent enim iidem parietes aliis presentibus affici, ratione quarum plura corpora, vel pauciora imò nulli corpus possent inter se continere. Capacitas hæc alia corpora continendi intra se ab ipsis præsentibus non distinguitur, & semper remanebit, etiam si nullum corpus intra parietes his præsentibus affectos reperiatur. Continentia actualis addit supra capacitatem corpus interceptum ex vi talis præsentie ratione cuius dicitur contentum esse intra hos parietes & esse in cubiculo, quod ex illis confurgit tanquam in loco. Hoc in re apud omnes firmum esse debet, ex quo diversitas in modo loquendi apud aliquos reperitur. Quidam distantiam appellant aptitudinem continendi alia corpora, & hi tenent dicere parietes huius cubiculi retinere has numero præsentias, quas modo habent, inter se distare, etiam si aër intermedius destruat, & nullum aliud succedat corpus, quæ distantia non ratione spatij quod dicimus non esse, sed ratione præsentiarum parietibus huius cubiculi in hoc casu conveniret. Alij capacitatem illam identificatam cum præsentibus alia corpora circumscribendi vocant distantiam aptitudinalem, & distantiam formalem appellat ipsam locationem corporis interpositi, iuxta quorum loquendi modum dicendum est non esse distantiam formalem, sed tantum aptitudinalem intra corpora, quæ aliud tertium intra se non continent. Et ita casu, quo Deus duo corpora extra Cælum crearet, neque sibi, neque aliis cõtigua, non essent iuxta hanc sententiam formaliter distantia, sed aptitudinaliter tantum: in casu autem, quo tracto fune ab hoc pariete in illum aër intermedius destrueretur distarent parietes ratione funis intermedij, similiter caput corporis existentis extra Cælum distaret à pedibus eiusdem corporis ratione aliarum partium, quæ inter pedes, & caput interponerentur, non autem formaliter distarent, sed tantum aptitudinaliter per lineas alias, quas possumus concipere ab humeris ad pedes per diuersum spatium ab illo, quod reliquæ partes corporis occupant. In his diuersis loquendi modis fere nullam de re differentiam inuenio, quapropter parum refert iuxta vnum, vel alterum loqui, nullum enim efficaci aliqua ratione impugnari, aut propugnari poterit.

PUNCTUM III.

An Deus sit in spatio imaginario, etiam extra Cælum, & quid de aliis entitatibus.

DE existentia Dei in spatio imaginario diuerso modo videntur auctores sentire. Pater Vasquez 1. part. disp. 29. cap. 2. negat Deum esse in spatio imaginario, & Deum de facto esse extra cælum in aliquo spatio. Oppositam sententiam defendunt P. Molina 1. part. quæst. 8. artic. 1. disput. 3. & secunda, Deus ex infinitate. Pater Soar in Metaph.

disp. 30. sect. 7. num. 3. & seqq. Hurtad. disput. 14. sect. 3. Arriag. disp. 14. sect. 4. In primis conuenio Hurtadum inconsequentia notam nostro Vasquio inuentam, postquam enim illum pro sententia negativa retulerat asserit oppositam docere eadem disput. 19. num. 14. Profecto attendere non legit Hurt. Vasq. expressè, enim semel & iterum eodè loco constanter negat Deum esse in spatio imaginario, illius do verba. *Quæsi corpus extra cælum non auctur esse in alio, quam in se ipso, nulla ratione potest dici Deus, aut Angelus extra cælum in alio, quam in se ipso.* Sic ille, sed sequentibus verbis deceptus est Hurtadus. Sic se habent. *Quod si Doctores opposita sententia contendunt Deum in se ipso existere extra cælum sicut existeret corpus, ita dicatur in se habere spatium, & situm, & distantiam, & aduerbia loci et conuenire: concedemus Deum esse in se ipso (ne decipiari cum Hurtado, in se ipso dixit non in spatio) cetera omnia, nempe situm, & distantiam, & aduerbia loci, & extra cælum esse et tribui nullo modo posse subinde patet.* Quid inconsequentia in his verbis inuenire potuit Hurtado? Certe nihil, omnia enim inter se summe consonant ut pore à tanto magistro tradita in quo nec lynceis oculis inconsequentia næum inuenies.

Venio iam ad Arriagam, qui sententiam Vasquez dicit illi maximopere displicere, & oppositam esse communem ferè omnium antiquorum, quos apud Hurtadum legi vult disp. 14. sect. 3. legi Hurtadum apud quos tantum, citatos inueni Soar, & Molinam, & per imposturam nostrum Vasquium, vellem ego meminisse Arriagam, quos pro sententia Vasquez legerat apud ipsum, videlicet Alfridodorensem, Bonauent. Richard. Scotum, Durand. & Capreolum, qui sententiam nostri Vasquez expressè defendunt, & Alex. Albert. & Egid. Argent. Gabr. & sanctum Thomam, qui illi maximopere fauent, & ex Patribus Aug. Bern. Theodor. & Tert. omnes apud Vasquez supra. Referuntur etiam iidem auctores pro hac sententia à Patre Fasolo 1. part. quæst. 8. artic. 2. dub. 3. uprà quos addit eandem sententiam tenentes Lychetum, Battigium, Tartaretum, Vigerium, Nicolaum de Orbellis, Abulensem, Marfilium, Gallium, & Bañes, Radam, Nazarium, Nauarrete, Patrem Valentiam, & Patrem Becanum, quibus subscribit idem Fasolus, his accedit Pater Moncaus disp. 1. c. 2. qui postquam initio capitis dixerat, illi semper placuisse sententiam negantem Deum fuisse in spatio imaginario, hæc addit: *Ceterum Doctores Scholastici, qui nostram sententiam amplectuntur magno numero sunt, imò hoc in genere de omnibus fere Ioanne Maiore antiquioribus, dici potest neminem illi esse contrarium, & postea adducit expressa testimonia S. Bonauenturæ, Scoti, & Capreoli, quibus negant Deum esse in spatiis, & tandem refert Patres supra relatos Augustinum, Bernardum, & Tertull. Profecto si hos auctores meminisset Arriaga, forsitan non dixisset tantopere illi displicere sententiam nostri Vasquez, neque oppositam esse communem omnium ferè Doctorem antiquorum.*

Sed iam videamus quid contra hanc sententiam exco-gitauerit Arriaga: sic ille num. 70. *Quando ergo Deum in his spatis considero, solum dico illum ex essentia sua habere cælum immensitatem, ratione cuius ita existit, ut nequeat produci aut conipi produci aliqua res cui Deus eo ipso non sit intimè præ-sens etiam si Deus eam creaturam, neque produceret, neque cognosceret, qui sunt duo alij modi præsentie, quos hi auctores præse-videntur Deo concedere. Nihil docet Arriaga, quod ex nostro Vasq. discere non poterit: Deum enim necessariò esse intimè præsentem omni creaturæ veritatem esse Catholicam probat sapientissimus Pater disp. 27. & Deum non posse nõ esse intimè præsentem creaturæ existentis neque illi esse liberum, esse in vna potius, quam in alia ex suppositione, quod existat, probat disp. 28. c. 4. n. 13. & hanc intimam Dei præ-sentiam non probari efficaciter ex eo, quod sit illarum causa, docet eadem disp. 28. c. 5. & disp. 29. cap. 5. n. 28. expresse docet hanc intimam præsentiam rebus creatis aduenisse Deo sine aliqua sui mutatione, ex quibus conuincitur nihil dixisse Arriagam, quod prius Vasquez non docuerit. Addit Arriaga num. 76. *Aduertere à me non dici Deum ante mundum vere, & realiter coexistisse, nam coexistentia dicitur duorum existentiam, præter Deum nihil fuit ante mundum, non ergo coexistit proprie, existit tamen, quia ad hoc non requiritur reale tempus nec realis creatura.* Hæc ille, quæ desumpta sunt ex Vasquez disp. 29. cap. 3. quapropter nescio quosnam alloquatur Arriaga, dum addit immediatè verbis relatis: *Et in hoc non recte differunt, qui vtrumque confundunt, neque inuenio quid in sententia Patris Vasquez quam illi maximopere**

mopere displicere dicit, eidem displicuerit, qui neque in modo loquendi, neque per exiguum vnguem ab illa discedit.

4 Videamus iam quomodo Hurtadus, & Arriaga rationibus Vasquez respondeant. Arguit Vasquez: spatium imaginarium non est quid reale, sed fictitium, & chimericum: ergo Deus non potest esse in illo, aliis Deus esset in chimera. Discursum hunc prior Vasquez confecerat Angelicus Doctor in 1. dist. 37. art. 3. in argumento *sed contra*. vbi sic ait: *si quocumque est aliquid, illud oportet esse, quia in nihilo nihil omnino est.* Respondet Hurtadus. num. 20. latum esse discrimen inter spatium imaginarium, & chimera, quia hæc non apprehenditur vt internallum, & intercapedo ad explicandas vbicationum essentias, sicut apprehenditur spatium imaginarium vt aptitudo ad recipienda corpora. Certè plurimum casus apprehensionis tribuit Hurtadus, qui refert hoc, vel illo modo apprehendi, vt Deus sit in spatio vel vt non sit in chimera: Constituitur ne Deus præsens per fingentem apprehensionem: Questio est de existentia reali Dei in spatio, ad quam existentiam impertinens est mea apprehensio: ergo si seclusa apprehensione spatium imaginarium, & chimera non differunt, & sunt æquè nihil, eademque apprehensione seclusa non Deus magis existit in spatio imaginario, quàm in chimera.

5 Concludo, neque Deum, neque Angelum, neque creaturam aliquam esse realiter in spatio imaginario propter prædictam rationem, quam hoc syllogismo cingo. Nihil potest esse realiter in illo, quod realiter non est, sed spatium imaginarium realiter non est: ergo nihil potest esse realiter in illo. Secundo vt rectè ex Vasquo dicebat Arriaga, coexistere est simul existere, sed spatium imaginarium non existit: ergo non potest aliquid illi coexistere: ergo nulla entitas potest existere in illo. Hæ rationes efficacissimæ sunt, & æquè probant de ente creato existenti, & possibili. De Deo, & Angelis conclusionem istam tradidit Vasquez in cuius sententia vnum difficile apparer videlicet aliter de ente corporeo, quàm de spiritali videri ipsum loquutum esse, cum illas rationes æquè probent de omni ente. Si tamen attente legatur, idem in re docet de ente corporeo, & spiritali. Afferit corpus tantum replere vltimam superficiem ambientem, & sine illa in nullo fore, sed tantum in se ipso, & corpus extra cælum productum non fore in spatio, sed in se ipso, quam doctrinam vniuersaliter tradit, etiam de ente corporeo, additque modò concipi corpus esse in spatio, quia cum resistat penetrationi alterius, illud concipimus, quasi occupans, & replens spatium, impediensque, ne aliud corpus idem repleat, quod tantum importat non posse duo corpora esse sibi mutuò intimè præsentia, neque se attingere secundum partes profundas, non verò realiter spatium occupare, quia cum spatium realiter non sit, realiter occupari non potest. Entitates verò spirituales cum possint adinuicem esse intimè præsentia, & simul cum alio corpore, non concipiuntur spatium occupantes, ac proinde non habemus fundamentum vt illas in spatio concipiamus, sicut concipimus entitates corporeas, vel si fundamentum aliquod habemus saltem non æquale cum fundamento impenetrationis, quod in corpore reperimus.

6 Obicit Hurtadus. Si Deus non est extra cælum sequitur Deum realiter posse mutari, quia potest creaturam aliquam extra cælum producere, cui necessario inciperet esse intimè præsens: ergo inciperet Deus esse in aliquo spatio in quo non erat: ergo mutaretur. Respondeo: producta in tempore aliqua creatura extra cælum Deum in tempore incipere esse illi præsentem sine aliqua mutatione ipsius Dei, quia Deus modo ab æterno habet secū identificatam immensitatem, ratione cuius inuariatè existentis est intimè præsens cuicumque creaturæ, siue intra cælum, siue extra cælum, quam intimam præsentiam in tempore incipit Deus habere, quia illam tota æternitate præcedenti non habuisse non proueniebat ex defectu immensitatis, seu præsentia Dei, sed ex defectu existentia creaturæ, qua incipiente per coexistentiam ipsius, & immensitatis Dei quæ fuit ab æterno, incipit Deus esse illi intimè præsens.

7 Obicit Arriaga: Deus fuit in spatio imaginario temporis ante mundi creationem: ergo similiter erit in spatio imaginario loci etiam extra cælum. Respondeo: Deum fuisse ab æterno lumine naturæ cognitum esse, ac proinde verum esse Deum fuisse ante mundi constitutionem; fal-

sum autem fuisse in spatio imaginario temporis, quia spatium imaginarium temporis nihil est, ac proinde in illo Deus esse non potuit, sed tantum fuit ab æterno in se ipso. Ne tamen ex modo loquendi in re graui æquiuocatio aliqua oriatur ad illam propositionem, *Deus fuit ab æterno in spatio imaginario temporis.* Respondeo negando assumptum, videlicet fuisse ab æterno spatium imaginarium; cum enim hoc tantum sit chimericum, existit tantum dum mente fingitur, respectu cuius habet esse obiectiuium, & non aliud. Quapropter idè solum nego Deum esse ab æterno in spatio imaginario temporis, quia nego ab æterno fuisse spatium imaginarium temporis, quod neque modo est, nisi per fictionem, quod non est esse: quod si ab æterno realiter fuisset spatium imaginarium temporis, negari non posset Deum ab æterno in illo fuisse, quia Deus habet intrinsecam immensitatem, ratione cuius illi repugnat non coexistere, seu non condurare (licet sic loqui) omni enti, quandocumque duret.

Addit P. Fasolus Deum esse extra cælum in se ipso, et si verum sit non esse in spatio, quod tantum importat Deum esse in se ipso, & non cælorum ambitu circumscribi, sed tantam habere immensitatem, vt ratione illius quamcumque præsentiam habeat creatura siue intra cælum, siue extra illos, eo ipso quod talis creatura existat, Deus illi est actu intimè præsens, quod non tantum vtrumque verum, sed etiam Catholicum est: ob hanc rationem dixit P. Vasquez verbis supra adductis Deum ab æterno esse in se ipso, quam existentiam in se lumine naturæ notum est non posse aliquo corpore circumscribi, & idè existente cælum potest dici Deum esse extra cælum, hoc est non definitum cælorum terminis, ita vt indigeat noua extensione, vt incipiat intimam habere præsentiam cum creatura extra cælorum ambitum producta. Huc tendunt plura testimonia Scripturæ & Patrum, quæ contra nostram sententiam adduci solent, in quibus Deum non posse cælum contineri, & alia huiusmodi traduntur.

PUNCTUM IV.

Quid sit vbi intrinsecum?

Triplitem de hac re sententiam inuenio. Prima docet, *vbi intrinsecum*, seu præsentiam ex vi cuius corpus in loco constituitur non esse accidens physicum superadditum, sed tantum quamdam extrinsecam denominationem. Sententiam hanc defendit Pater Agidius Conink 3. p. q. 35. dub. 1. Secunda sententia asserit hoc *vbi esse formam intrinsecam*, dicit tamen hanc formam resultare in re vbicata ex circumscriptione loci, & esse prædicamentalem relationem distantia à polis mundi tribuitur hæc sententia Alberto Magno lib. 7. de sex principiis tractat. 1. cap. 1. Tertia sententia docet *vbi esse formam realem*, & accedens quoddam physicum superadditum rei vbicatæ, ex vi cuius formaliter constituitur præsens. Ita ferè omnes nostri Doctores P. Vasquez 1. part. tom. 2. disp. 180. cap. 7. n. 17. P. Suarez 2. Metaphysic. disp. 50. sect. 1. num. 13. P. Hurtadus disp. 16. sect. 2. P. Albert. tom. 2. de prædicam. vbi, disp. vnica quæst. 5.

Primò reiicienda est secunda sententia quæ præsentiam, seu *vbi* in relatione constituebat resultante ex circumscriptione loci quod sine magna opera efficaciter præstabo. Circumscripção loci, vt dicit formaliter præsentiam rei locatæ, & loci, vt probabo Punct. 1. dicit enim locatum contineri intra locum, & hæc duo esse inter se applicata: ergo præsentia non potest consistere in aliquo, quod resultet ex illa circumscriptione. Secundo mente adime relationem illam resultantem ex circumscriptione loci, & da mihi corpus loco circumscriptum: eo ipso, quod sit loco circumscriptum locatum erit contentum intra locum, & illi approximatum: ergo superfluit posita circumscriptione relatio illa resultans, quæ essentialiter supponit iam corpus præsens, seu vbicatum. Tertiò vltima superficies cælorum nullo circumscribitur, & tamen habet præsentiam: ergo præsentia non resultat ex circumscriptione.

Præferenda est omnibus tertia sententia, quæ asserit præsentiam, seu *vbi* esse accidens reale, & formam intrinsecam accedentem rei vbicatæ: eidem rationibus illam probabo, & primam impugno. Sit prima ratio. Motus localis est actio: ergo aliquid ex vi illius producitur, aliàs dabitur actio

actio sine termino, quod repugnat. Si dicas motum localem non esse actionem, inquiram cur in nihilo agendo defatigeris cum locum acquiris, & aliquid spatium percurris? Respondent alij motum localem esse actionem adductum mobilis ad locum extrinsecum, non verò alicuius termini productivam. Hæc sunt pura verba re vacua. Ex vi huius actionis, quam non vis productionem esse, sed adductionem, mobile est adductum ad locum: Rogo quid est in termino esse adductum? non nuda termini entitas: ergo aliud distinctum, quod modò est & antea non erat: hoc ergo erit præsentia.

Secundò efficacissimè arguo. Corpus per suam entitatem non magis determinatum est ad hoc spatium, quàm ad aliud, videmus enim modò hoc, modò illud occupare (semper de spatio loquimur, ac si esset aliquid reale, intendentes tantum significare præsentias corporum, & eorumdem distantias, quæ semper in ordine ad spatium concipiuntur & explicantur) ergo datur aliquid superadditum, per quod constituatur in hoc spatio, sed hoc superadditum non potest esse spatium, quia nullo spatio in rerum natura productio incipit corpus acquirere hoc spatium, seu hanc habere præsentiam: ergo est aliquid superadditum corpori locato. Dices corpus habere hæc præsentiam non tantum esse corpus, & spatium, sed corpus provt in spatio. Bene est: Corpus provt in spatio, vel tantum dicit esse in rerum natura corpus, & spatium, vel dicit esse aliquid supra corpus, & spatium: non primum, quia existente hoc corpore, & hoc spatio non est hoc corpus provt in hoc spatio: ergo est aliquid distinctum supra corpus, & spatium illud ergo quod dicit corpus vt in spatio supra corpus, & spatium erit præsentia. Indulgeo in modo loquendi hæc spatia admittentibus, quæ si negentur omnino, & adhuc illis non vtantur ad diuersas præsentias explicandas idem robur meum seruabit argumentum, & in modo loquendi magis premet, spatio enim adhuc à disputatione relegato argumentabor. Idem corpus est indifferens ad habendam hanc vel illam præsentiam: ergo præsentia distinguitur ab illo, & adhuc solutionem iam impugnatum dare non poteris, videlicet distingui præsentias extrinsecè per diuersas connotationes eiusdem corporis ad diuersa spatia.

Dices præsentiam consistere non in aliqua forma superaddita, sed in hac vel illa distantia huius corporis ab illo. Contrà: secundum hanc solutionem, esse corpora contigua erit esse indistantia, quid ergo erit esse corpora penetrata? Dices corpora penetrari esse idem spatium vtrobique occupare. Non inficior, sed adhuc vrgeo: idem spatium duobus corporibus penetrari non solum dicit existentiam corporum, & spatium, quia dato spatio, & existentibus corporibus possunt non occupare idem spatium: ergo est aliquid distinctum à corporibus, & spatio: hoc ergo vbi seu præsentiam esse dico. Secundò ad distantiam redeo. Duo corpora esse distantia non est tantum corpora quæ distant, & spatium, quod interiacet, & corpora intermedia: quia his omnibus existentibus in rerum natura possunt eadem corpora distare, & non distare, & nullo corpore productio, nulloque spatio addito per motum localem sunt distantia corpora, quæ non distabant: ergo esse corpora distantia includit aliquid distinctum à corporibus, quæ distant, & quæ interiacent, & spatio, hoc distinctum, ex vi cuius formaliter distant, importat præsentias corporum distantium, & interiacentium. Dices corpora intermedia non posse esse inter illa, quæ dicuntur distare, quin formaliter sit illorum distantia. Fateor, sed non explicabis quid sit corpora hæc esse inter illa, quæ distare dicuntur, nisi præsentias superadditas admittas, eadem enim corpora, quæ modò sunt extrema respectu aliorum interiacentium, possent in eodem statu esse intermedia respectu illorum, quæ modò interiacent, quæ essent extrema: ergo hæc corpora esse inter illa dicit præsentias superadditas corporum, quas ego propugno.

Eandem distantiam aliter impugno: Deus potuit creare hunc mundum constantem eisdem partibus, eodem ordine collocatis in alio spatio, & tunc mundus, & omnia illius elementa haberent alias præsentias: ergo occupare hoc spatium, seu corpora habere has præsentias, non tantum est ordo, seu collocatio rerum, ex vi cuius hæc corpora mediant inter illa, hæc illa continent, & illa continentur. Antecedens probatur. Potest Deus extra hunc mundum alium creare: ergo potuit creasse hunc in illo spatio, in quo modò potest creare alium. Confirmatur: Deus

potest modò totum mundum mouere, eo modo, quo mouetur nauis cum aliis corporibus intra illam contentis, sed tunc mundus, & omnia illius elementa alias acquirerent præsentias, & tamen omnia corpora haberent inter se eandem collocationem, & eundem ordinem, eademque essent continentia, & contenta respectu eorumdem: ergo corpora has præsentias habere, non consistit in hoc ordine corporum interiacentium respectu illorum, quæ distantia dicuntur.

Dicunt alij, me esse hic, dicere negationem essendi alibi, quos sic impugno. Quando ego sum Matriti, habeo negationem essendi Toleti: ergo quando migro Toletum destruitur negatio essendi Toleti, quam antea habebam: ergo aliquid positium producit, quia nullo alio modo potest destrui negatio, nisi per productionem habitus positui, cum quo opponitur. & cuius est non esse. Secundò, quando defino esse Matriti, incipit negatio essendi Matriti, ergo definit esse aliquid positium, quod antea erat: ergo esse Matriti erat aliquid positium, in qua præsentia Matritana sita erat.

Connotatores dicunt præsentiam identificatam cum corpore aliquando suum effectum formalem tribuere, & aliquando non, ratione connotati existentis, vel non existentis. Doctrinam impugno in Metaphysic. Controu. 4. Punct. 6. §. 2. disputans de distinctione relationis prædicationalis à fundamento, sed adhuc illa admissa in hac materia locum inuenire non potest. Affirmant connotatores eandem formalitatem identificatam cum fundamento diuersos tribuere formales effectus ratione diuersorum connotatorum. Vnde ad hoc vt nouns effectus formalis reperitur, requiritur noua productio connotati, est non requiratur productio nouæ formalitatis: sed non potest nouum aliquid connotatum assignari, ratio se cuius incipiat præsentia necum semper identificata tribuere modò effectum formalem, quem antea non tribuebat, & me Matriti constituere, vbi antea non eram: ergo hæc connotatorum doctrina non potest in hac materia subsistere. Non posse dari aliquid connotatum denudò productum satis probatum est, dum illud connotatores non assignent, & facile suaderetur, nihil enim supponitur ad præsentiam denudò productum in mobili, aut in principio mouente, aut in alio subiecto: ergo nullum est nouum connotatum, cum nouam acquiri præsentiam, ratione cuius hæc, quæ antea fuerat quoad entitatem tantum, modò incipiat, esse quoad formalitatem. Si dicas hoc connotatū esse actionem in quo moris iste qui essentialiter est actio terminum habeat, vel illo careat, hoc vltimum dici nequit, actio enim essentialiter dici terminum. Si terminum habeat, hunc ego præsentiam esse dico, & non tantum connotatum. Secundò præsentias superadditas negas, ne multiplices entitates: ergo abs re cum loco præsentia, quam neges connotatum aliud admittis. Addo, quod si daretur motus localis, seu actio sine termino in hac formaliter præsentiam esse constituendam, & dicendum motum habere secum terminum identificatum; qui enim affirmant actionem dari sine termino, tantum in modo loquendi differunt ab his, qui dicunt terminum esse identificatum cum actione, vt in simili probabo Controuers. 5. de anima, Punct. 1. contra illos, qui dicunt intellectionem actionem esse terminum carentem.

Obiic. primò. In primo instanti, in quo res producitur, est in loco, & in illo instanti non mouetur: ergo rem esse in loco non importat motum aliquem. Respondeo præsentia acquiri semper per actionem productivam illius, siue hæc actio proveniat à re præsentia, siue à causa hanc producente, hanc tamen actionem non dici motum respectu subiecti, quod prius tempore non fuit existens, quia actio supra motum dicit negationem termini præcedentem in subiecto tempore immediatè antea existentem.

Obiic. secundò. Si motus consistit in actione superaddita, talis actio continua esse non potest, quia quando aduenit hæc pars, iam alia abiit, & non est, & ita nunquam poterunt partes motus vniri. Hæc obiectio compositionem successiuorum non præsentias superadditas intendit euertere. Respondeo motum localem dici continuum successiuè, quia illius partes sunt successione continuæ, id est nulla facta interruptione fluunt, vna immediata post aliam, & hoc tantum modo continuari præsentias, quas acquirit homo, cum per spatium diuisibile mouetur, & per hanc vnionem ordinis, & successionis, neque præsentias

rias productas, neque actiones, ex vi quarum producuntur, unionem aliam habere. Instabis: sequi ex hac solutione dari infinitas praesentias, & infinitas actiones in motu, quo homo ex hac parte prima cubiculi in illam ultimam movetur. Respondeo in opinione, quae continuum componit ex infinitis partibus, & indivisibilibus concedendam esse sequelam, in qua nullum est absurdum supposita hac continui compositione: in opinione vero, quae continuum ex indivisibilibus finitis statuit, facile sequelam nego, quia in quocumque motu sunt partes finitae, quibus partes finitae termini correspondent.

11 Obiic. tertio. Subiectum non potest supponi tanquam causa materialis praesentiae: ergo praesentia non potest illi inherere. Probatur antecedens: ad hoc vt subiectum formam recipiat, debet supponi approximatum agenti, sed subiectum non potest supponi approximatum ad ipsam praesentiam, quia per istam formaliter approximatur: ergo nullum subiectum potest supponi vt principium recipiens praesentiam. Respondeo subiectum non debere supponi praesens ad causandam propriam praesentiam, sicuti neque natura debet supponi subsistens ad producendam, seu recipiendam subsistentiam etiam in opinione, quae asserit subsistentiam se tenere ex parte actus primi respectu actionum, quae a substantia effectivè procedunt. De hoc latius Contr. 10. Punct. 4.

12 Obiic. quarto. Antequam corpus producat praesentiam superadditam debet supponi approximatum spatio: ergo per hanc praesentiam superadditam non potest constitui praesens. Probatur antecedens: si non deberet supponi approximatio ad spatium priusquam produceretur praesentia, possem ego modò Compluti existens producere praesentiam Romae sed non possum illam producere: ergo ex eo est, quod non sum Romae approximatus: ergo ante productionem praesentiae debet supponi approximatio subiecti ad spatium, in quo producenda est praesentia. Respondeo. me non posse ex hoc spatio immediatè producere praesentiam in alio non esse ex eo quod non possum agere in distans, quia si praesentiam distantem ab hac immediatè producerem, semper in me ipsum agerem, & non in aliud distans, quia quando produco praesentiam, ex vi cuius Romae praesens fio, non ago in spatium Romanum, sed in me ipsum & approximatio tantum supponitur ad effectum producendum inter principium passivum, & activum, quorum neutrum est spatium, & ita ad producendam praesentiam non debet supponi principium productivum illius approximatum spatio, vt falsò concedit obiectio, quod si immediatè post praesentiam Complutensem non possum producere praesentiam Romanam, non est ex defectu huius applicationis sed ex natura praesentiarum, quae petunt certo ordine produci, ita vt inter Romanam & Complutensem aliae praesentiae producantur, quod aliqui tantum intendunt cum dicunt subiectum debere supponi negativè spatio approximatum, hoc est, debere immediatè antea habuisse praesentiam non distantem, quia praesentiae, quae distant non possunt immediatè produci.

13 Obiic. quinto. Eo ipso quod entitas intelligatur correspondens spatio, est formaliter praesens: ergo non indiget praesentia superaddita vt sit praesens. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia ad hoc vt respondeat spatio indiget illo modo cum ex se indifferens sit vt huic vel illi spatio correspondeat. Alia huic argumento similia sunt, in quibus ex parte antecedentis supponitur superadditus modus, quo posito, formaliter corpus constituitur praesens, & postea inferitur in consequenti necessarium non esse talem modum: eorum sunt, in quibus inferitur non dari praesentiam superadditam ex eo quod si res sit constituta cum hac distantia, vel quod sit contenta intra illud corpus, vel quod inter illam, & aliam, hoc, vel illud corpus sit interpositum, quocumque alio secluso sit formaliter praesens, in quibus verum est antecedens, & falsum consequens, & illatio pessima, supponitur enim in antecedenti, quod negatur in consequenti, quia rem intra aliam contineri, & hunc vel illum ordinem positionis servare formaliter includit praesentiam superadditam rei, quae poterat non ita intra illam contineri, & talem positionis ordinem non servare.

PUNCTUM V.

An in toto composito singula entitatibus distincta praesentia respondeant.

Existimarunt nonnulli recentiores non posse in questionem vocari an in homine anima rationalis sit praesens per praesentiam materiae primae, aut quantitatis ex eo quod anima rationalis definitivè existat, & materia prima, illiusque quantitas circumscriptivè, quae praesentiarum differentiae videntur non posse in eandem confluere. Alienus longè sum ab hac mente, & ideo primum statuo eodem modo philosophandum esse de forma hominis, ac de quacumque alia forma materiali, rationem do. Ex eo quod haec pars formae equi vniatur huic parti materiae existenti in hoc spatio praecisà alià praesentia tenente se ex parte formae (id suppono de forma equi, vt consequentiam faciam de forma hominis), pars formae est in eodem spatio, in quo est pars materiae, cui vniatur, & si tota forma equi vniatur eidem parti materiae, ex vi illius unionis tota forma esset in spatio, in quo est illa pars materiae: ergo ex eo quod tota anima rationalis vniatur huic parti materiae tota debet esse in eodem spatio, in quo est pars cui vniatur, verbi gratia, ex eo quod tota anima rationalis vniatur huic indivisibili materiae capitis debet esse in spatio, in quo est illud indivisibile: ergo ex eo quod eadem anima tota vniatur indivisibili materiae pedis debet esse in eodem spatio, in quo est illud indivisibile: ergo ex eo quod tota anima rationalis vniatur singulis partibus, & singulis indivisibilibus huius materiae divisibilis, praecisà quacumque alià praesentia tenente se ex parte formae, debet tota esse in singulis partibus, & indivisibilibus spatij, in quibus sunt singulae partes, & singula indivisibilia materiae, & anima rationalis secundum se totam esse intimè praesentem ex vi unionis singulis indivisibilibus, & partibus materiae, siquidem singulis vniatur, & forma ex vi unionis ad subiectum constituitur praesens in eodem spatio, in quo est subiectum.

Ad illud, quod adducebatur de differentia praesentiae definitivae, & circumscriptivae respondeo, posse eandem praesentiam divisibilem esse circumscriptivam respectu vnius subiecti, & definitivam respectu alterius, si secundum singulas sui partes toti subiecto correspondeat, respectu cuius definitiva dicitur, ita vt quaelibet pars illius totum subiectum afficiat, & respectu alterius ita se habeat vt diversis subiecti partibus diversae praesentiae partes correspondeant, ita vt nulla pars subiecti, duplici parte illius praesentiae afficiatur. Hac ratione se haberet praesentia materiae primae respectu materiae, & respectu animae rationalis, si utramque afficeret, quaelibet pars distincta praesentiae semper distinctam partem materiae respectaret, diversae tamen partes eiusdem praesentiae respecientes diversas partes materiae respecierent omnes simul, & illarum quaelibet totam eandem indivisibilem animam. De hoc iterum, Puncto immediatè venturo. Concludo ergo eodem modo philosophandum esse de anima rationali, ac de reliquis formis, eademque probabilitate posse dici esse praesentem per praesentiam materiae, aut quantitatis, dum est materiae unita, ac de quacumque alia forma materiali. Quid de omnibus tenendum sit, iam dico.

Pater Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 199. n. 29. ait materiam primam, & reliquas formas substantiales, & accidentales, quae sunt in composito, esse praesentes per praesentiam quantitatis. Vasquium sequutus est Albert. de praedicam. quantitatis disp. vnica, q. 6. Omnibus entitatibus distinctis à praesentia, & motu, ex vi cuius producitur, distinctas respondere praesentias defendunt P. Suarez in Metaph. disp. 41. sect. 5. P. Rub. tract. de loco, quaest. 6. contrarià opinione relicta quam in prioribus commentariis fuerat amplexus. Eandem tenet Hurtadus disp. 14. sect. 4. Additque Hurtadus sententiam nostri Vasquez non multum habere ponderis, neque rationis: sed videamus quantum roboris, & ponderis habeant rationes quibus illam impugnat.

Arguit primò Hurtadus. Quantitas habet idem vbi, etiam si pereant accidentia, quae illi inhaerent: ergo non habet praesentiam illis communem. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia quantitas habet

habet proprium ubi tantum illi essentialiter connexum, ex vi cuius erunt presentia quaecumque alia uniantur quantitati, quae si non uniantur, non illa desiderabit presentia quantitatis, quae proprio subiecto, quod essentialiter respicit quantitate videlicet, contenta est. Eadem solutione respondeo ad aliam Hurtadi objectionem, quae in eandem coincidit, videlicet permanere ubi quantitatis destructis accidentibus, ex quo inferebat non esse modum illorum, concedo enim non esse modum illis intrinsecum, assero tamen posita unione cum quantitate constituere in loco accidentia terminata ad talem unionem, sicut unio materiae primae ad quantitatem denominat materiam unitam remota albedini, quando albedo est unita proxime quantitati, & hanc denominationem non tribuit eadem permanens, quando albedo quantitati non est unita. At Hurtadus, formas tantum communicare suum effectum formalem subiecto immediato, & non mediato, quia albedo non dicitur dulcis, etiam si subiectetur in subiecto habente dulcedinem: addit tamen num. 37. effectus formales modorum posse ascribi remoti subiectis formam, quas afficiunt. Ex quo infero contra ipsum formas modales non tantum communicare suum effectum formalem subiecto proximo, sed etiam remoti, ut in exemplo unionis supra adducto ipse fatetur. Ad illud quod adducit de albedine, quae non vocatur dulcis, etiam si sit in eodem subiecto, in quo est dulcedo respondeo id tantum dici dulce, quod est radix dulcedinis, & ideo etiam si dulcedo subiectetur in quantitate, & non in substantia sacchari dicimus saccharum esse dulce, & non appellamus dulce sacchari quantitatem. Insuper denominatio dulcis est denominatio obiecti potentis talem sui sensationem producere, quae potentia non convenit formae ex eo quod sit unita subiecto, cui talis unitur potentia, sicut quantitas non est potens videre ex eo quod sit unita materiae animalis, cui est unita potentia visiva, quia haec neque ipsam materiam, cui unitur constituit potentem videre. Ex quo inferes manifestum discrimen inter has, similesque formas, & extensionem & alia; potentia enim visiva in homine siue distincta, siue identificata cum anima materiae unita, non illam constituit potentem videre, & extenso, seu presentia localis necessario constituit praesens, & extensum subiectum cui unitur. Secundum, etiam si albedo ex eo quod sit unita quantitati externa, non sit extensa formaliter, in omnium opinione praecise ex vi illius unionis saltem exigit extensionem ex vi cuius formaliter constituitur extensa, & tamen ex eo quod uniantur quantitati habenti dulcedinem, neque constituitur dulcis, neque exigens dulcedinem, ex vi cuius dulcis constituitur: ergo longe diversa est ratio de his formis, ac de extensione est.

Instat Hurtadus. Deus potest conservare accidentia in eodem loco, in quo erant quantitati unita, destructa iam quantitate: ergo non erant praesentia per praesentiam quantitatis. Respondeo Deum posse conservare qualitates in eodem loco, ac modo sunt destructa quantitate tribuendo illis novam praesentiam, ratione cuius de novo producantur in eodem loco, non vero posse illa conservare praesentia in eodem loco ex vi praesentiae, quam antea habebant, quae destructa quantitate necessario perit. Vide quam facile solvantur argumenta, quae contra Vasquez adducit Hurtadus, & quam levia sint illius fundamenta, quibus comparata non parum ponderis, neque rationis adducta à Vasquo habere videbuntur.

Eandem ferè sententiam cum Hurtado defendit Arriaga, qui asserit omnes formas, seu modos separabiles à materia habere proprias, distinctasque praesentias, & probabile esse materiam & quantitatem habere praesentiam communem, & indistinctam. Ad probandum formas separabiles à quantitate habere proprias praesentias praeter Hurtadi fundamenta hoc adducit. Potest albedo unita quantitati non esse in eodem loco, ubi est quantitas: ergo praesentia albedinis distinguitur à praesentia quantitatis. Consequutio evidens est. Antecedens probat: quantitas habens albedinem potest poni in duplici loco, & albedo tantum in uno: ergo potest quantitas praesens esse in aliquo loco, in quo non sit albedo illi unita. Antecedens asserit à nemine negandum esse, sed fiducia vana fessellae Arriagae, mihi enim illud negare placet iuxta opinionem Vasquez, quia cum praesentia quantitatis formaliter constituat in loco omnia accidentia illi unita, tot praesentias habebit accedens, quot quantitas; ac proinde si quantitas sit in duplici loco, accedens illi unitum non poterit non esse in eodem duplici loco. De hac doctrina dubitabit nemo, qui sententiam Patris Vasquez amplectatur.

Hæc dixi, ut probarem non gravis ponderis esse rationes hucusque adductas contra Vasquium, nihilominus pro sententia concedente omnibus entitatibus, quae non sunt essentialiter spatis affixae, sicuti praesentia, & motus, seu actio, ex vi cuius hæc producit, praesentias distinctas. Moneor hac ratione, quam acuti recentiores excogitarunt. Quando video albedinem non tantum video nudam albedinis entitatem, sed etiam illius praesentiam, ut probabo Controvers. 12. de anima, Punct. 1. §. 3. ergo praesentia albedinis distinguitur à praesentia quantitatis, & unione ipsius albedinis ad quantitatem. Probo consequentiam: quantitas visibilis non est: ergo neque est visibilis modus proprius quantitatis: ergo praesentia quantitatis non videtur: sed praesentia albedinis videtur: ergo distinguuntur. Secundum, etiam si videretur praesentia quantitatis ex eo quod videatur hæc quantitatis praesentia, & videatur albedo, non videtur albedinem esse in eodem loco cum quantitate, quia esse in eodem loco non tantum dicit praesentiam quantitatis, & albedinem, sed etiam unionem: ergo ad hoc ut videretur albedo praesens per praesentiam quantitatis debebat videri unio albedinis ad quantitatem: sed hæc unio videri nequit: ergo neque albedo potest videri praesens per praesentiam quantitatis. Unionem albedinis cum quantitate videri non posse sic probo: si poneretur albedo intime praesens cum quantitate sine aliqua unione eodem modo videretur, ac quando est unita: ergo unio non terminat actum videndi. Secundum, nemo audebit dicere se habere notitiam intuitivam unionis inter albedinem, & quantitatem, ergo non videtur talis unio. Scio te posse respondere unionem videri, non tamen posse discerni. Sed quo fundamento asseris te videre id, quod nunquam discernis, neque probabilis aliqua ratio videri suadet: quod adhuc fortius urget respectu praesentiae quantitatis.

Praesentiam, & actionem ex vi cuius producit non indigere aliis praesentibus fatentur omnes, quia sicuti actio non indiget actione, ut ab agente dependeat, quia ipsa est ratio dependendi, & per ipsam dependet, ita praesentia non indiget alia praesentia, ut praesentetur, quia est ratio formalis praesentandi alia corpora, & per se ipsam praesentatur. De actione productiva huius praesentiae probatur ex eo quod essentialiter, & per se ipsam est termino affixa, & ita per ipsum terminum constituitur in eodem spatio cum illo. Secundum à posteriori, quia actio productiva praesentiae indigeret alia praesentia, rursus illa praesentia per actionem produceretur, quae alia praesentia indigeret, & sic in infinitum procederetur.

Obiicies primo pro sententia P. Vasquez Eo ipso, quod albedo sit unita quantitati, est determinata ut sit in eodem loco cum quantitate: ergo non indiget alia praesentia ut determinetur ad existendum in tali loco: ergo absolute non indiget alia praesentia. Probo consequentiam: praesentia superaddita datur, ut entitas indifferens ad hoc vel illud spatium occupandum determinetur specialiter ad hoc determinatum, sed albedo unita quantitati non est indifferens, sed determinata per unionem ad quantitatem, & praesentiam huius: ergo non indiget alia praesentia. Respondeo distinguendo primum antecedens: albedo eo ipso, quod sit unita quantitati est determinata, ut sit in eodem spatio cum illa: est determinata in actu primo, concedo antecedens, est determinata in actu secundo, nego: est dicere: albedo eo ipso quod sit unita quantitati exigit praesentiam, ex vi cuius sit in eodem loco cum quantitate, non tamen formaliter ex eo praecise est in eodem loco cum illa, sicuti ignis eo ipso quod sit applicatus ligno cum reliquis praerequisitis ad producendum calorem in illo, est in actu primo determinatus ad agendum in illud lignum, non tamen est in actu secundo, & formaliter determinatus quousque adueniat actio, sic similiter albedo unita quantitati praesens est in actu primo determinata, ut sit in eodem spatio cum quantitate, non tamen est determinata in actu secundo, & formaliter praesens, quousque illi adueniat praesentia. Ad confirmationem dico praesentiam non solum requiri, ut determinet subiectum in actu primo ad spatium, sed ut illud in actu secundo determinet, & formaliter praesens constituat.

D d

Obiic.

Obiic. secundò. Si singula accidentia haberent præsentias, sequeretur materiam primam moueri tot motibus, quot haberet accidentia. Respondeo negando sequelam, quia licet cum mouetur totum compositum tot dentur motus, quot accidentia, non omnes materiam primam afficiunt, sed quilibet subiectum præsentie productæ ex vi illius.

PUNCTUM VI.

Quomplex sit præsentia, & quomodo differat circumscriptiua à definitiua.

Præsentia Dei, immensitas dicitur, ex vi cuius sine mensura est intimè præsens omnibus rebus existentibus, ita necessariò, vt implicet existere creaturam aliquam, cui Deus non sit intimè præsens. Hæc immensitas indistincta est ab ipso Deo, in quo nulla accidentium compositio reperitur. Hanc ab omnibus quibuscumque præsentis creatis specie differre, per se notum est, quid enim magis differens quam in creatum à creato, infinitum, & immensum à finito, & limitato. Præsentia creata duplex est, quædam definitiua, alia circumscriptiua. Præsentia circumscriptiua dicitur, quia corpus præsens secundum se totum toti spatio correfpondeat, & secundum singulas sui partes singulis partibus spatij, ita vt ex vi illius nulla pars spatium cum alia communè habeat. Præsentia definitiua est illa, ex vi cuius totum, siue diuisibile siue indiuisibile correfpondet secundum se totum toti spatio diuisibili, & secundum se totum cuiuslibet parti, & cuiuslibet indiuisibili spatij. Præsentiam circumscriptiuam habent omnia corpora, quæ naturaliter existunt. Definitiua gaudent Christi corpus in se diuisibile hoc modo indiuisibili præsens in Eucharistia, & rationalis anima, & quilibet Angelus indiuisibilis secundum entitatem, & spatio diuisibili præsens.

2. Audiendi non sunt, qui apud Albert. de prædicam. ubi disput. vnica, quæst. 7. dicunt, præsentiam definitiuam, seu modum, quo res est indiuisibiliter in spatio indiuisibili esse tantum negationem extensionis, contra quos eisdem argumentis probatur præsentiam definitiuam esse accedens superadditum, ac de reliquis præsentis probatum est Punct. 4. quia Angelus, & anima rationalis definitiuè sunt præsentis, modo in hoc spatio, modo in illo, & in maiori, aut minori spatio: ergo per aliquid positium determinantur, vt sint potius in hoc spatio, quam in illo, negatio enim extensionis semper est eadem, & non potest hanc determinationem præstare. Idem dico de Angelo, & de puncto quantitatis separato (si potest dari) existentibus in puncto indiuisibilis spatij, propter indifferentiam, quam habent vt sint in hoc vel in illo puncto spatij.

3. Præsentiam definitiuam, & circumscriptiuam in vniuersum specie distingui docuit P. Suarez in Metaphysic. disput. 51. sect. 6. num. 18. & cum illo re indiscussa plures recentiores. Non id in dubium verto, si comparentur præsentia circumscriptiua quantitatis, & præsentia definitiua Angeli, hæc enim specie different ratione subiectorum, etiam si vtrique esset definitiua, diuersa enim est in specie præsentia definitiua quantitatis Eucharisticæ à præsentia definitiua Angeli. Est dubitandi ratio; facta comparatione inter præsentiam definitiuam, & circumscriptiuam respectu subiecti eiusdem specie, vel numero. An videlicet præsentia definitiua, quam habet Christi quantitas in Eucharistia specie differat à præsentia circumscriptiua, quam habet in cælis eadem quantitas, & à præsentia circumscriptiua, quam habet alia quantitas eiusdem specie cum quantitate Eucharistica. Arriaga disp. 1. de anima, sect. 4. subsect. 8. n. 13. in materia Eucharistica probat has præsentias specie non differre, quam sententiam iam diu docuere perdocti magistri.

4. Sentio in sententia constituyente continuum ex puris indiuisibilibus posse corpus esse definitiuè præsens per repetitionem præsentiarum circumscriptiuarum, nulla addita præsentia distincta in specie à circumscriptiua. Explicatio conclusionis solida erit illius probatio. Esse corpus definitiuè nihil aliud est quam omnia indiuisibilia, quibus constat (procedo in sententia, quæ continuum ex indiuisibilibus componit) esse in quocumque indiuisibili spatio, quod dicit hoc indiuisibile corporis esse repeti-

tum in omnibus indiuisibilibus spatij, & omnia indiuisibilia corporis esse penetrata in hoc indiuisibili spatij, & sic de omnibus indiuisibilibus tam corporis, quam spatij sed totum hoc potest fieri per præsentias circumscriptiuas repetitas: ergo ad hoc vt corpus sit definitiuè præsens non indiget præsentia aliqua specie distincta circumscriptiua. Maior certa est apud omnes, minorem probò. Penetratio eorumdem indiuisibilium, & repetitio eiusdem indiuisibilis in eodem spatio tantum dicit multitudinem præsentiarum in eodem spatio, quia si corpori modo existenti circumscriptiuè alia præsentia circumscriptiua addatur, ex vi cuius indiuisibile capitis constituitur in spatio, in quo est indiuisibile pedis, & indiuisibile pedis in spatio, in quo est indiuisibile capitis, & rursus alia, ex vi cuius indiuisibile brachij constituitur in spatio, in quo est indiuisibile pedis, & indiuisibile pectoris in spatio in quo est indiuisibile pedis, & semel & iterum replicentur præsentia, fiet, vt nullum sit indiuisibile spatij, in quo non sint omnia indiuisibilia corporis, & consequenter totum corpus ex illis indiuisibilibus compositum erit in toto spatio, & totum in quolibet indiuisibili illius spatij, quod est esse definitiuè, eodem omnino modo potest esse in hoc spatio, ac si esset circumscriptiuè totum corpus, & sic de omnibus aliis: ergo præsentia, quam habent omnia indiuisibilia corporis existentis definitiuè potest esse eiusdem specie cum præsentia, quam habent, si corpus existeret circumscriptiuè: ergo & præsentia totius compositi, quia præsentia compositi non distinguitur à præsentis, quas habent partes, ex quibus componitur. Antecedens probò ex eo quod corpus sit præsens definitiuè tantum, inferitur indiuisibile corporis existens in hoc indiuisibili spatij extitum simul in aliis indiuisibilibus spatij, & omnia indiuisibilia corporis extitura in eodem indiuisibili spatij. Sed ex eo quod hoc indiuisibile sit futurum in aliis spatiis non variatur præsentia, quam habet in isto, quia hæc perseverante possunt alia aduenire, neque ex eo quod alia indiuisibilia sint extitura in eodem spatio, quia indiuisibile penetratum cum alio, sicut quodlibet aliud corpus potest habere eandem præsentiam, quam haberet si non esset penetratum: ergo ex eo quod corpus sit definitiuè non variantur præsentia, quas habent singula illius indiuisibilia in singulis spatiis, sed tantum multiplicatur ergo non variatur præsentia totius, sed tantum multiplicatur.

Ex hoc infero, quod si corpus aliquod prædicto modo definitiuè poneretur in spatio aliquo, quod posset correfpondere ad æquatæ præsentia circumscriptiua illius v. g. si consecraretur corpus Christi in quantitate panis correfpondente quantitati hominis, posset ex vi præsentia includi in definitiua solum per ablationem aliarum præsentiarum manere corpus circumscriptiuè præsens, quia indiuisibilia capitis possent retinere præsentiam, qua indigerent vt totum esset circumscriptiuè, & reliquas amittere, & sic de reliquis indiuisibilibus, ita vt nullum maneret cum alio penetratum, neque in duplici spatio repetitum, & omnia ac singula debitam positionem, & proportionem seruarent, vt totum quantitatum cum debita partium inter se distantia esset in toto spatio, & singule partes illius singulis partibus spatij responderent. Præsentia definitiua sic explicata à circumscriptiua differt, ex eo quod hæc dicit negationem multitudinis repetita præsentia, ratione quarum omnia indiuisibilia corporis inter se penetrata repetantur in singulis indiuisibilibus spatij, præsentia vero definitiua dicit harum præsentiarum multiplicatam.

Rem ita composui in opinione, quæ continuum ex indiuisibilibus componit, in opinione verò, quæ illud ex partibus semper diuisibilibus, & indiuisibilibus componit existimo præsentiam definitiuam distinguendam esse specie à circumscriptiua, quod sic probò. In præsentia definitiua debet dari pars aliqua præsentia afficiens partem diuisibilem subiecti quæ illam adequatè constituat in indiuisibili spatio, seu in quocumque indiuisibili illius spatij, sed in præsentia circumscriptiua nulla datur pars præsentia, ex vi cuius pars diuisibilis corporis constituitur adequatè præses & in indiuisibili spatij: ergo datur in præsentia definitiua pars, cui non correfpondeat alia eiusdem specie in præsentia circumscriptiua: ergo præsentia circumscriptiua, & definitiua specie differunt, quia eo ipso quod totum partem aliquam essentialiter continet essentialiter distinctam à partibus aliis totius, essentialiter ab illo toto distingui necessum est.

Sentio

7 Sentio insuper adhuc in opinione, quæ continuum ex indiuisibilibus componit, posse dari respectu eiusdem quantitatis præsentiam definitiuam specie distinctam à circumscriptiua, quod faciliè suadeo. Potest corpus existerè definitiuè in hoc spatio diuisibili non per repetitionem præsentiarum circumscriptiuarum, sed ex vi vnius præsentia secundum suam entitatem indiuisibilis, quæ indiuisibiliter respiciat totum subiectum diuisibile, & totum hoc diuisibile spatium, ita vt secundum eandem entitatem constituat hoc indiuisibile quantitatis in singulis indiuisibilibus spatij diuisibilis, vt de præsentia Angeli multi affirmant & eadè, quæ hoc præstat respectu huius indiuisibilis quantitatis, potest idem præstare per se ipsam respectu alius & aliis indiuisibilis, ita vt ab omnibus seorsim, & simul sumptis dependeat eo modo, vt quocumque deficiente tota præsentia deficeret. Sed hæc præsentia essentialiter differet à circumscriptiua, ergo hæc præsentia definitiua & circumscriptiua respectu eiusdem corporis in quacumque opinione de continui compositione possunt specie differre. Secundo, Potest etiam dari præsentia definitiua diuisibilis ex parte subiecti, & indiuisibiliter respiciens spatium diuisibile, ita vt diuersa pars præsentia esset, quæ respiceret hoc indiuisibile, seu hanc partem quantitatis ab illa, quæ aliam partem respiceret, non tamen esset diuersa pars præsentia, ex vi cuius hæc quantitatis pars constitueretur in hac parte spatij, & in alia distincta ab hac, sed per eandem præsentiam indiuisibiliter sumptam hæc quantitatis pars constitueretur in hac, & in illa parte, & in toto spatio indiuisibili, & per idem indiuisibile præsentia hoc indiuisibile quantitatis constitueretur in omnibus indiuisibilibus spatij contentis in spatio diuisibili. Hæc præsentia diuisibiliter subiectum respiciens, & spatium indiuisibiliter specie distingueretur ab alia, quæ tam subiectum diuisibile, quam spatium indiuisibiliter respiceret, vt per se notum est, haberet enim prædicatum notabiliter differens à prædicatis aliis præsentia, quod posset esse multis commune, quod necessariò essentiam distinctam constituit.

8 Dixi punct. 5. num. 2. eandem præsentiam posse esse circumscriptiuam respectu vnius entitatis, & definitiuam respectu alterius, quod iterum confirmo, & explico de præsentia etiam respiciente vtramque entitatem diuisibilem secundum se. Ratio est illa, quam ibi reddidi. Potest dari præsentia, quarum partes singula respiciant singulas partes vnius subiecti, ita vt pars præsentia, quæ respicit hanc partem subiecti non respiciat aliam eiusdem, & similiter respiciat eodem modo diuisibiliter partes spatij, ita vt pars quæ respicit hanc partem spatij, non respiciat aliam quæ partes præsentia indiuisibiliter respiciant totum aliud subiectum diuisibiliter, ita vt quælibet pars præsentia, quæ tantum respicit partem subiecti, quod constituit circumscriptiuè præsens respiciat omnes partes subiecti, quod constituit definitiuè præsens, & essentialiter dependeat ab omnibus partibus subiecti, & quod definitiuè præsentat, & tantum ab vna parte subiecti, quod circumscriptiuè præsens constituit, & tota illa præsentia diuisibiliter spatium, & subiectum circumscriptiuè existens respiciet, & indiuisibiliter secundum quamlibet sui partem totum subiectum ex vi illius definitiuè existens: ergo potest dari præsentia quædam, ex vi cuius totum hoc corpus fit in toto spatio cum correspondentia partis corporis ad partem spatij, ita vt nulla pars sit cum alia comparte penetrata, quod est esse circumscriptiuè, & ex vi cuius totum corpus aliud diuisibile sit in quolibet indiuisibili spatij diuisibilis, quod est esse definitiuè præsens: ergo eadem præsentia potest esse definitiua respectu huius corporis, & circumscriptiua respectu illius. Veritatem primi antecedentis commendat illius explicatio, idè tam fusè illud proposui, neque repugnantia aliqua poterit assignari in natura modi, quam explicui potest enim dari modus, qui indiuisibiliter afficiat plura subiecta, ac proinde poterit dari pars præsentia, quæ indiuisibiliter afficiat partem quandam huius subiecti, & omnes partes illius, quæ simul cum aliis partibus, quæ quælibet respiciat diuersam partem huius subiecti, & eadem omnes illius, constituet præsentiam huius subiecti circumscriptiuam, illiusque definitiuam.

9 Vltimò noto: Præsentiam hanc circumscriptiuam respectu vnius subiecti, & definitiuam respectu aliis specie distinguendum esse à præsentia purè definitiua, & ab alia purè circumscriptiua, ex eo quod esset penetratiua respectu

subiecti, quod definitiuè præsentaret, & extensiuè respectu alius, quod circumscriptiuè præsens constitueret. Neque in se contineret differentias essentialiter oppositas, quia differentia, quæ essentialiter opponuntur in præsentia sunt ratio præsentia purè circumscriptiua, quarum neutra tali præsentia competeret, non verò ratio definitiua præsentia non excludentis rationem circumscriptiua, sed cum illa identificata, & ratio præsentia circumscriptiua non excludentis rationem definitiua sed identificata cum illa sicuti opponuntur in viuientibus purum sensitiuum competens bruto, & purum rationale competens Angelo, & non opponuntur in homine, sensitiuum, & rationale formaliter distincta, & realiter identificata.

PUNCTUM VII.

An creatura possit ab omni presentia absolui.

1 Creaturam adhuc de potentia Dei absoluta non posse conservari sine aliqua presentia, ex vi cuius in aliquo sit spatio, affirmat Pater Soar. lib. 4. de Angelis cap. 3. & Arriaga disp. 14. sect. 4. Oppositam sententiam defendunt Pater Vázquez tom. 2. in 1. part. disput. 195. cap. 3. & 4. & Pater Moncaus disp. 1. c. 2. & 8. qui sentiunt posse creaturam de potentia Dei absoluta absque ulla presentia conservari, quibus habens assentior.

2 Sententiam, quam defendendam suscepisse probo: Præsentia est accidens quoddam superadditum creaturæ, productum per actionem distinctam ab ipsa creaturæ: ergo poterit Deus, posita actione productiua creaturæ suspendere actionem, qua producenda erat præsentia. Probo consequentiam: actio ex vi cuius producit creaturam, prior est actione, ex vi cuius producit præsentia illi inherens: ergo illa prior actio non dependet à priori ab hac actione posteriori: ergo tantum dependet à posteriori (si talis dependentia reperiri potest) quatenus hæc posterior, ex vi cuius præsentia producit priorem consequitur, sed hæc dependentia à posteriori, quæcumque sit, poterit suppleri à Deo, nulla enim ratio potest reperiri, propter quam causa tantum connexionem habeat cum effectu, vt non possit Deus producta causâ non producere effectum: ergo poterit Deus quæcumque creaturam sine præsentia conservare. Deinde probatur conclusio in similibus difficultatibus omnium potissima ratione. Nulla est repugnantia, neque inferuntur duo contradictoria ex eo, quod conservetur creatura sine præsentia: ergo poterit conservari. Antecedens probabit argumentorum solutio.

3 Obiic. primo Soar, & Arriaga, nos non posse concipere creaturam nisi alicubi existentem, ex quo intendunt inferri non posse non alicubi esse. Concedo antecedens, & nego consequentiam, multa enim sunt, quæ non vt sunt, sed aliter, sæpe apprehendit intellectus, & ne ex alia materia exempla trahamus, cuius rei in quacumque abundat, nos non possumus concipere præsentiam, nisi essentialiter relictam ad imaginarium spatium, & tamen nullum respectum dicit ad illud, sed in se est entitas quædam æquè absoluta, ac albedo, vt docet idem Arriaga, sect. 3. n. 36.

4 Obiic. secundo Soar: Creetur Deus Angelum: vel est distans à mundo vel indistans, & est distans: ergo habet vibrationem alibi. Si est indistans: ergo est approximatus, ergo habet præsentiam, quia approximatio constituitur formaliter per præsentiam. Respondeo Angelum creatum sine præsentia fore indistantem negatiue, hoc est non fore distantem, non verò indistantem positiue, neque approximatum, ex indistantia enim negatiua, hoc est, ex non distantia non inferitur approximatio, quæ est forma positiua non necessariò connexa cum negatione distantia.

5 Obiic. tertio Arriaga: Implicat de potentia Dei absoluta quantitate non esse extensam, aut inextensam, quia hæc duo priuatiue opponuntur, si est extensa: ergo habet præsentia, ex vi cuius extenditur; si est inextensa: ergo partes illius sunt penetratæ: ergo sunt in eodem loco: ergo habent præsentiam, in qua formaliter penetrantur. Respond. eodem modo partes quantitatis sine præsentia fore inextensas negatiue, hoc est habere negationem extensionis, ex quo non inferitur esse penetratas, aut esse in eodem loco, penetratio enim non est formaliter pura extensionis negatio, sed dicit præsentias positiuas respondentes eidem spatio, quibus carerent partes quantitatis non habentes præsentiam.

præsentiam, quas præsentias respectu eiusdem spatij vt plurimum significamus, cum dicimus corpus esse inextensum, intendentes esse in repositum explicare, in quo sensu negandum est corpus sine præsentia esse inextensum, quia secundum hanc acceptionem huius termini inextensum pro repositum, extensum, & inextensum non priuatiue opponuntur.

Obiicit quartò. Partes quantitatis omni præsentia carentes vel essent intra alias, vel extra: si intra: ergo in eodem spatio: si extra: ergo in alio spatio: ergo quocumque modo erunt in spatio, & præsentia habebunt. Similiter solet argui: corpus sine præsentia vel est intra cælum, vel extra cælum: neutrum potest habere sine præsentia. Respondeo de corpore absoluto ab omni præsentia in ordine ad spatium philosophandum esse ac si in rerum natura non existeret, & sicut corpus non existens non habet partes intra partes, neque extra partes, neque totum est intra cælum, sic dicendum est de partibus illius corporis, & de corpore, de quorum partibus tantum posset dici non esse intra alias, & de illo non esse intra cælum, quod solet dici extra negatiue, non tamen absolute posset dici de partibus esse extra partes, aut de toto esse extra cælum, quia esse extra dicit esse in spatio, quod neque partibus illius corporis, neque corpori conueniret.

PUNCTUM VIII.

*An corpus omni præsentia absolutum esset
intimè præsens Deo.*

Statui puncto precedenti posse aliquam creaturam, Angelum, verbi gratia, existere sine aliqua præsentia nulli spatio respondentem, neque alicui approximatum, aut distantem. Inquirò modò de Angelo sic constituto: An esset intimè præsens Deo, & penetratus cum illo secundum suam entitatem eodem modo, ac si haberet præsentiam: quam quæstionem sine duce aggredior, nullum enim legi, neque audiri, qui rem hanc in quæstionem vocaret, quapropter me utriusque partis affirmatiue videlicet, & negatiue patronum fingam, & arbiter postea alteri primas dabo.

Pro parte negatiua suppono non sequi per locum intrinsecum ex eo quod Deus sit causa rerum, esse illis intimè præsentem, vt docet probat Vasquez 1. part. disp. 28. cap. 4. & 5. quia non est de ratione cause intima præsentia cum effectu, & licet in causis creatis requiratur approximatō inter agens, & passum, non ita necessariè requiritur vt de potentia absoluta suppleri non possit. Secundò etiam si requiratur approximatō inter agens, & passum non requiritur ex parte actus primi approximatō inter agens & effectum, creatio enim Angeli non potest supponere Angelum approximatum, alias iam illum existentem supponeret. Ex hoc infero non probari ex eo, quod creatura nullibi existens dependeret à Deo illam fore intimè Deo præsentem. Deinde positiue probo illam creaturam sic constitutam non posse intimè Deo esse præsentem. Talis creatura supponitur sine præsentia: ergo non esset præsens: ergo non esset præsens Deo. Probo priorem consequentiam: effectus formalis non potest esse sine forma: ergo non potest esse præsens sine præsentia: posteriori confirmo. Hæc illatio, non est præsens: ergo non est præsens Deo, est à non restricto ad restrictum negatiue, quæ semper tenebatur enim valet, Petrus non loquitur: ergo Petrus non loquitur Ioanni: Petrus non est præsens: ergo non est præsens Romæ.

Pro affirmatiua parte efficaciores inuenio rationes, ob quas placet illam defendere, donec ab aliis de hac realiter doceat. Affero creaturam omni præsentia superaddita nudam fore Deo præsentem ac si præsentiam superadditam haberet. In hanc partem traho Patrem Vasquez, quam ex suis principiis clarè infero. Docet sapientissimus P. 1. p. disp. 28. c. 4. num. 13. veritatem esse Catholicam Deum esse intimè præsentem omni creaturæ, neque illi esse liberum esse in vna potius quam in alia ex suppositione, quod illam creauerit, & in super loco citato Puncto precedenti docet posse Deum creaturam sine omni præsentia producere: ergo creatura sine præsentia esset præsens Deo, cum possit non habere præsentiam, & non possit non esse intimè Deo præsens. Ratio à priori huius conclusionis est, creaturam

non constitui Deo præsentem per præsentiam superadditam, sed per suammet entitatem, & per immanentiam Dei. Vnde repugnat esse in rerum natura entitatem aliquam, quæ non sit intimè Deo præsens, quia immanentia Dei talis est vt ipsum constituat intimè præsentem, cuiusque creaturæ, eo ipso quod existat, nullo alio modo desiderato, neque ex parte creaturæ. Eodem modo creatura per suammet entitatem supposita immanentia Dei, quæ non potest non supponi vt potè summè necessaria constituitur præsens Deo: quod si probem, meam conclusionem manifestè ostendo: ad id accingor.

Tota ratio, propter quam ponimus præsentias superadditas creaturis est, quia videmus illas modò cum hac distantia, modò cum illa creaturis secundum suam entitatem inuariatis, vnde inferimus esse quid superadditum modum illum, per quem formaliter distantes constituantur. Vnde si creaturæ essent fixæ certo spatio, in quo semper eandem distantiam seruarent nullum esset fundamentum ad dandas præsentias superadditas, sed diceremus creaturas per se ipsas distare, sed nunquam videmus creaturas distare à Deo, aut nouimus indifferentiam vt distent, & non distent, neque vt habeant hanc approximationem potius quam illam, sed semper illas eodem modo approximatas per suammet entitates independentes ab omni alia præsentia superaddita: ergo hac ablata creatura creatori approximatæ permanebit & illi intimè præsens, quia quidquid conuenit entitati per se ipsam, non potest non quocumque alio secluso illi conuenire. Secundò eandem intimam præsentiam habet Deus cum Petro existenti Matriti, & cum eodem existenti Toleti: ergo Petrus existens Toleti, & existens Matriti habet eandem approximationem cum Deo, quia approximatō Petri cum Deo non dicit aliquid realiter distinctum ab illo quod dicit approximatō Dei cū Petro: ergo si approximatō Dei cum Petro existenti Matriti & Toleti est eadem, approximatō Petri existenti Matriti, aut Toleti erit eadem: ergo approximatō, quam habet Petrus cum Deo quando existit Matriti, non dicit præsentiam superadditam, quæstionem habet Petrus, quia si hanc diceret approximatō cū Deo non posset eadem approximatō esse Toleti, quia præsentia, quæ Petrus habet Matriti essentialiter dependet ab illo spatio, & non potest non esse in illo, sed sic est quod approximatō, quam Petrus habet cum Deo potest esse in alio spatio, & non in illo: ergo approximatō Petri cum Deo non dicit præsentiam superadditam Petro.

Fundamentum, quod pro parte negatiua proposui facillimè ex dictis dissoluo. Concedo non posse dari effectum formalem sine forma, neque præsens sine præsentia, dico tamen quamlibet creaturam esse præsentiam sui ipsius, ex vi cuius constituitur præsens in ordine ad Deum, non verò in ordine ad aliud ens creatum. Ad illationem factam ex non restricto ad restrictum negatiue, dico creaturam sine præsentia superaddita dici non esse præsentem absolute, quia intelligimus propositionem illam de præsentia in ordine ad spatium, & ad alia entia creata: quæ si tacite hanc restrictionem non inuoluat, falsa erit, & abstractendo ab omni præsentia in ordine ad ens creatum & in creatum dici non potest, creatura sine præsentia superaddita non est præsens, quia adhuc tunc est præsens Deo, & præsentiam habet secum identificatam.

Obiicies primò. Etiam si repugnet creaturam aliquam non dependere à Deo, dependet per actionem superadditam: ergo etiam si repugnet non esse Deo præsentem, erit præsens per modum superadditum. Respondeo, disparatem esse rationem, quia licet repugnet creaturam non dependere à Deo, noscimus eandem creaturam posse diuerso modo dependere, & indifferentiam habere ad dependendum per educationem aut per creationem, ex quo inferimus in actu secundo non dependere per suam entitatem, sed per aliquid superadditum, numquam autem nouimus creaturam habere indifferentiam ad habendam diuersam approximationem cum Deo. Secundò quod valde notatu dignum est. Dependens superaddita, quam damus creaturæ respectu Dei, non supponit existentiam creaturæ, & ita non possumus arguere: dependentia est superaddita: ergo potest creaturæ iam existenti non aduenire, non enim est creatura iam existens ante dependentiam. Approximatō autem si constitueretur in præsentia superaddita, constitueretur in aliquo, quod supponit creaturam iam existentem, ex qua suppositione licet inferri illam approxima

approximationem posse creaturæ non aduenire, & illam posse non esse intimè Deo præsentem, ac proinde ut dicatur repugnare creaturæ non esse intimè præsentem Deo, ponenda est hæc intima præsentia non in aliquo posteriori ipsa creatura, quod illi potest non aduenire, arguimus enim ex eo quod præsentia sit superaddita creaturæ, posse creaturam existere absque omni præsentia, & non possemus arguere: actio est distincta ab effectu: ergo effectus potest esse sine omni actione, quia eo ipso, quod sit effectus supponit actionem, & non supponitur ad illam; entitas verò, quæ præsens constituitur non supponit præsentiam ad suam existentiam, potius sua existentia ad præsentiam supponitur.

7 Obiicies secundò. Creaturam esse præsentem Deo nihil aliud est quam esse in eodem spatio cum Deo: sed creatura sine præsentia non est in spatio: ergo non est in eodem spatio cum Deo. Respondeo negàdo primum antecedens, iam enim probavi Punct. 3. Deum non esse in spatio. Fateor semper nos concipere intimam præsentiam per ordinem ad spatium, & vix posse hoc ordine secluso de illa loqui, constat tamen rationibus, quibus spatium imaginariū impugnauimus non dari talem ordinem, quapropter in re admittendus non est, licet sine illo rem concipere non possimus.

PUNCTUM IX.

An corpus possit esse circumscriptivè in duplici loco.

1 Corpus esse in duplici loco definitivè, & in vno circumscriptivè, & definitivè in altero sanctum est fide, quia docemur Christum esse in Cælo circumscriptivè, & definitivè sub speciebus panis in omnibus locis, in quibus celebratur sacramentum Eucharisticum. Procedit questio de duplici præsentia circumscriptivæ. Defendunt partem negativam Sanctus Thomas, D. Bonaventura, Capreolus cum aliis Thomistis, quos refert Pater Soar tom. 3. in 3. part. disp. 48. sect. 4. quibus consentit Pater Vasquez 3. part. disp. 159. cap. 5. Affirmatiuam partem, quam verissimam esse censet, defendit Pater Soar cum Scoto & aliis plurimis, quos ipse refert ibid. quibus adde Patrem Vasquium tom. 4. disput. 6. quest. 3. part. 1. §. 23. qui ait oppositam sententiam à Catholicis reijci, vt minus congruentem veritati fidei; Conimbr. lib. 4. Physic. cap. 5. q. 5. art. 2. Rub. lib. 4. Physic. Regid. Conink ad quest. 75. 3. part. art. 4. dist. 3. Hurt. disput. 14. sect. 5. Arriag. disput. 14. sect. 8. subseccione 2.

2 Conclusionem supra traditam probò. Repugnantia eiusdem corporis in duplici spatio tantum oritur ex impossibilitate formarum, quarum vna petit vt Deus subtrahat concursus, quo conseruabat altera; ergo poterit Deus vincere hanc impossibilitatem præstando concursus, quem subtrahi altera forma petebat, exigentia enim forme non cogit Deum, ita vt non possit contra talem exigentiam operari. Secundò probatur à paritate præsentia definitivæ: sicut enim corpus potest habere vnam præsentiam definitivam, & aliam circumscriptivam, & duplicem definitivam, & duplicem circumscriptivam habere poterit, quia non est maior oppositio præsentia circumscriptivæ cum alia circumscriptivæ, quam definitivæ cum definitivæ, & cum alia circumscriptivæ. Vltimò confirmanda est conclusio ex eo quod nullam inuoluit repugnantiam corpus in duplici loco circumscriptivè existens, quod solutiones argumentorum euincunt.

3 Obiic. primò. De ratione præsentia circumscriptivæ est constituere corpus intra hoc spatium, ita vt non possit esse extra illud: ergo posito corpore circumscriptivè in hoc spatio non potest esse extra illud: ergo non potest esse in alio. Hæc obiectio videtur impugnare Eucharistia mysterium, quia si de ratione corporis præsentis circumscriptivè est, vt corpus non sit in alio spatio, de ratione præsentia circumscriptivæ, quam Christus habet in Cælo erit ita constituere corpus Christi in spatio cælesti, ita vt non possit esse in alio: ergo non poterit esse in Eucharistia: pessimum consequens, & illatio ad homines facta contemnenda. Dices de ratione præsentia circumscriptivæ esse vt corpus non sit in alio spatio circumscriptivè, non verò vt non sit in alio definitivè. Catholicè dictum non tamē philosophicè. Vnde hanc differentiam colligis: præsentia enim primariū effectus totus est positivus, videli-

cet constituere corpus in hoc spatio, hoc autem quod est non esse in alio est quid negativum extra formalem rationem positivæ præsentia, licet hæc positiva præsentia illam exigat negationem eo modo, quo calor exigit negationem frigiditatis quæ omnino est extra constitutum caloris, & præsentia circumscriptivæ æquè exigit negationem alius præsentia definitivæ, & alius circumscriptivæ in eodem subiecto, quia naturaliter cum vtrique impossibile est. Ad argumentum in forma negandum est primum antecedens, vel distinguendum maioris claritatis gratia: de conceptu præsentia circumscriptivæ est constituere corpus in hoc loco, ita vt non sit in alio, distinguo: de conceptu primario inseparabili, nego antecedens, de hoc enim tantum est constituere corpus in hoc spatio, adde si placet, & exigere vt non sit in alio, quod totum est quid positivum: de conceptu secundario & separabili à primario tanquam effectus à causa, sicuti separari potest expulsio caloris ab informatione frigiditatis, concedo antecedens: deinde nego consequentiam.

Obiicies secundò. Si corpus præteretur in duplici loco divideretur & separaretur à se ipso, hoc implicat: ergo implicat poni in duplici loco. Quam separationem potes inuenire in duplici præsentia circumscriptivæ, quam meditari non possis in duplici definitivæ respectu eiusdem corporis? Non vacat hæc latius expendere. Respondeo: corpus non diuidi per repetitionem præsentiarum, neque à se ipso separari, si separatio dicat aliquid negativum, seu negationem alicuius approximationis, quia totum corpus, quod erat in hoc spatio, seruata tota approximatione, quam secum ipso, & cum aliis corporibus habebat, ponitur in alio loco per repetitionem, & multiplicationem præsentiarum, & non entitatis corporis secundum se.

Obiicies tertio. Non potest corpus occupare spatium maius illo, sed si haberet duplicem præsentiam occuparet spatium maius illo: ergo non potest illam habere. Confirmatur: Corpus ex vi huius præsentia circumscriptivæ commensuratur cum spatio, ita vt totum correspondeat toti spatio, & pars corporis parti spatij, & non vltra: ergo posita hac commensuratione corpus non posset vltra hoc spatium. Vltra: corpus per præsentiam circumscriptivam constituitur intra hoc spatium: ergo non potest esse extra illud: ergo non potest esse in alio permanente hac præsentia. Respond. corpus non posse occupare per vnam tantum præsentiam spatium maius illo, posse tamen per duplicem præsentiam occupare spatium duplo maius illo, quia ex vi cuiuscunque præsentia occupat spatium sibi æquale, & duo spatia, quorum quodlibet est æquale corpori, simul sumpta illud excedunt. Alio modo dicto corpus cum duplici præsentia non occupare spatium aliquod maius illo, sed duo spatia, quorum quodlibet est æquale, quæ non vnum constituunt, quia spatia per ordinem ad præsentiam distinguimus, & sicuti duplex præsentia circumscriptivæ non vnam maiorem constituunt, ita neque duplex spatium his præsentis respondens non constituit vnum maius, sed est duplex, illorumque quodlibet æquale locato. Ad confirmationem dico corpus ex vi præsentia circumscriptivæ commensurari huic spatio, ita vt non correspondeat alij spatio per eandem præsentiam, quod verò per aliam præsentiam alij spatio correspondeat, vel non correspondeat, non pertinet ad rationem formalem constitutiui huius præsentia. Ad illud, quod vltimò additur, dico corpus per præsentiam circumscriptivam constitui intra hoc spatium, quia permanente non potest esse extra, si illud extra importet negationem, hoc est corpus non existere in hoc spatio, posse tamen esse extra, si dicat aliquid positivum, videlicet esse in spatio distincto ab illo.

Obiicies quartò. Si corpus posset esse in duplici loco, posset esse vbique: ergo posset esse immensum, quod est absurdum, quia immensitas est propria Dei. Qui rationibus his fidunt, existimarent illarum non fugere difficultatem, si illas omitteremus: hæc de causa illas refuto, etsi nihil difficultatis in illis inueniam, quod quisque malè terminis philosophicis cinctus non dissoluet. Argumentum non retorqueo in præsentis definitivæ, quia me vellem ad difficiliora seruire. Respondeo dato corpore posse esse vbique, adhuc non inferri esse immensum, quia esset vbique per repetitionem præsentiarum distinctarum, immensitas autem Dei est vna simplex entitas. Secundò immensitas Dei est identificata cum ipso Deo infinita &

indefectibilis, presentie autem, ex vi quarum creatura esset ubique essent distincte a creatura finita & defectibilis. Dedit corpus posse ubique poni, quia ad difficultatem propositam solvendam nihil referebat, ne modò difficiliore mouerem questiones, licet ita contingere non possit, quia non potest dari corpus infinite extensum, neque ita extensum ut non possit magis extendi, ut probauit Controuerſia 14. Puncto 4.

7 Vidit Pater Vasquez fundamenta Thomistarum, cum quibus in hac sententia foedus inierat, solida non esse, quapropter aliud sibi quaesivit, nescio an efficacius aliis. Sic arguit: si corpus posset poni in duplici loco, posset in utroque naturaliter moueri: sed implicat corpus naturaliter moueri duplici motu: ergo implicat poni in duplici loco. Antecedens probatur: corpus positum in duplici loco utrobique haberet grauitatem: ergo utrobique grauitaret, ut moueretur: ergo moueretur utrobique: ergo duplici motu, non enim potest corpus in duplici spatio distanti simplici motu moueri. Respondent nonnulli corpus posse naturaliter duplici motu moueri ex suppositione quod fuerit in duplici spatio constitutum. Non assentior, quia duæ presentie acquirere essent per duplicem motum, & una peteret negationem alterius, etiam si duæ alie præcessissent, quod per accidens se habet respectu harum presentiarum, non enim ex eo quod illæ præcesserint amittit ista impossibilitatem, quam habent ex natura sua: ergo etiam si alie præcesserint non poterunt ista naturaliter in eodem subiecto componi: ergo non poterunt simul ab agenti naturali in eodem subiecto produci. Respondent alij corpus nullibi mouendum esse, quia non potest utrobique moueri, & non est maior ratio ut moueatur in hoc loco quam in illo. Displicet etiã hic dicendi modus, quia si non sit maior ratio ut moueatur corpus in hoc spatio, quam in illo, Dei erit decernere spatium per quod sit mouendum, & presentiam producendam in corpore se mouente, quia sicuti cum tantum est applicatum ut moueatur per hoc spatium, decernit Deus presentiam, producendam ex pluribus, quas potest producere in eodem spatio, inter quas non est maior ratio, ut potius hæc quam illa producat: Sic quando est corpus applicatum ad producendas presentias in duplici spatio decernit Deus unam presentiam producendam, ex illis, quas potest in utroque spatio producere.

8 Respondeo Deum conseruantem seu producentem duplicem presentiam in eodem corpore utramque simul conseruare contra existentiam alterius, quia utraque mutuo petit alterius corruptionem, quod si Deus non tantum decreuit conseruare has presentias contra existentiam mutua, quam habet qualibet ut destruat altera, sed etiam contra existentiam cuiuscumque alijs agentis naturalis, tunc corpus non posse moueri ab aliquo agenti naturali, quia corpus non potest nouam presentiam acquirere, nisi destruendo præcedentes: ergo si præcedentes destrui non possunt ab aliquo agenti, non potest ab aliquo noua alia produci. Idem contingeret si Deus decreuisset independentem à quocumque agente naturali oppositum, exigente conseruare presentiam vnica, quam modò habeo, tunc enim à nullo agenti naturali posse moueri, quia non potest fieri motus, aut acquisitio nouæ presentie nisi per destructionem præcedentis in eodem subiecto. Si verò Deus conseruaret duplicem illam presentiam, etiam independentem ab existentia mutua, quam qualibet haberet ne conseruaretur altera, dependentem tamen ab alijs causis naturalibus, quæ ex se haberent virtutem ad illas presentias producendas, tunc corpus naturaliter moueretur, & acquireret nouam presentiam, ex vi cuius corrumperentur duæ, quas antea habuerat. Corpus esse mouendum probatur ex eo quod grauitaret, & ex se haberet virtutem ad producendam presentiam, & duplex presentia præcedens illius productionem non impediret, quia si ob aliquam rationem duplex presentia impediret productionem alijs, maxime quia alia producenda esset impossibilis cum illis: hæc tamen ratio sufficiens non est, quia etiam quando corpus habet vnica presentiam, illa est impossibilis cum alia ventura, & tamen non impedit illius productionem, sed desinit esse ad aduentum alijs, sic contingeret duplici illi presentie, quia formæ impossibiles non ex eo quod impossibiles sunt, impediunt efficaciter productionem, alijs nunquam expellerentur, sed tantum inferuntur ex impossibilitate non conseruari simul omnes, sed

corrumpi antiquas adueniente alia impossibili. Corruptam esse utramque presentiam antiquam alia adueniente, facile probatur, quia cum noua adueniens non possit naturaliter componi cum aliqua alia presentia existerente in eodem subiecto, petit nullam conseruari in eodem subiecto, ac proinde omnem præexistentem corrumpi.

Ad argumentum adductum ad probandum corpus utrobique esse mouendum, Respondeo, corpus utrobique petere moueri in altero spatio, non tamen utrobique petere moueri utrobique, hoc est habere in utroque loco existentiam mouendi se in altero, non verò habere in aliquo existentiam se mouendi in utroque, quia tantum exigit id, quo indiget ad sui conseruationem, & quod naturaliter potest habere; cum autem tantum exigit ad sui conseruationem acquirere proprium centrum, quod per motum in vnico tantum spatio exercito potest acquirere, & cum tantum possit naturaliter vnico habere motum, sit tantum exigere moueri in vnico spatio, licet hæc existentia sit in omni loco in quo est corpus. Si roges in quo spatio moueretur? Respondeo cæteris paribus mouendum esse in spatio centro viciniore, quia corpus semper tendit in centrum per lineam breuissimam, si autem in vno spatio sit minor resistentia medijs quam in alio, hæc minor resistentia ad motum conducet ut potius in hoc spatio fiat, quam in illo, exempli gratia: si lapidem ponas Romæ in medio aeris, & Matriti supra saxum ingens, etiam si breuior sit via in centrum per spatium Matritanum quam per Romanum, per hoc fiet motus, & non per illud, quia lapis valens vincere resistentiam aeris Romæ non valet Matriti vincere resistentiam saxi impediens motum. Si verò omnia sint paria, decernit Deus in quo spatio sit corpus mouendum. Hæc de motu grauium, & leuium, videntur autem poterunt se determinare ut moueantur potius in hoc spatio, quam in illo, sicut ego modò indifferens ut mouear versus Orientem, vel Occidentem, liberè motum versus Orientem dirigo.

PUNCTVM X.

De accidentibus corporis existentis in duplici loco.

Varia sunt accidentia de quibus in questionem vertitur, an possint, & debeant comitari utrobique corpus existens in duplici loco: quædam dependentia à loco sicuti presentia, & motus, ex vi cuius hæc producitur alia independentia à loco sicuti calor, & frigiditas: quædam dependentia in conseruari à causis primò producentibus, sicuti lux & species mixte ab obiectis externis sensibus, alia quæ hanc dependentiam ignorant. De his omnibus quid tenendum sit distinctè explicabo.

§. I.

De accidentibus dependentibus à loco.

Nihil hucusque certius fuerat in Philosophia, quam presentias esse omnino immobiles, ita essentialiter affixas huic spatio, ut illis repugnaret in alio existere, ac proinde implicare corpus Romæ habere presentiam, ex vi cuius Matriti constituitur. Eo tamen ingenio pollent nostri Magistri ut nouas quotidie solidis fundamentis questiones excitent, quæ priscos latuere doctores.

Affirmant doctissimi recentiores corpus posse habere Romæ eandem presentiam, quam habet Matriti, non quia ex vi vnus presentie Matriti, & Romæ constituitur, sed quia postquam ex vi vnus presentie est Romæ constitutum, & ex vi alijs Matriti constituitur, potest fieri presentia Romæ, & similiter presentia ex vi cuius Romæ existit potest Matriti fieri presentia. Fundamentum recentiorum hoc vnice est: Ex eo quod presentia per se ipsam essentialiter respiciat hoc spatium tantum inferitur non posse non illud respicere, hoc tamè non impedit posse aliud respicere per modum sibi superadditum, ita ut duplex spatium simul respiciat, vnum per se ipsam essentialiter, quod non potest non respicere, aliud accidentaliter per modum superadditum, quod potest non respicere deficiente modo illo superaddito. Exemplum non incongruum huic materie ministrat vnio integralis partium quantitatibus quæ per se ipsam respicit extrema, quæ vnit partes videlicet quantitates, & per modum superadditi materie primæ vnitur.

Sic volunt isti recentiores in præsentis contingere per se ipsas respicientibus hoc spatium & potentibus per modum superadditum aliud spatium respicere. Eandem doctrinam inuenio apud Arriag. disp. 4. Metaph. sect. 13. subiect. 3. ubi ait probabiliter dici posse substantiam creatam, etiam si sit modus propriæ naturæ, posse naturam alienam terminare per modum alium superadditum, ita ut terminet duplicem naturam: propriam per se ipsam essentialiter, alienam accidentaliter per modum superadditum. Negat autem Arriaga id posse in præsentis contingere, & tanquam certum statuit disp. 14. Physica sect. 9. non posse corpus habere in hoc loco præsentiam, quam habet in alio, in quo consequentiam ego desidero. eadem enim est ratio de præsentis respicientibus essentialiter hoc spatium, & de substantiis respicientibus essentialiter hoc subiectum, etsi hæc possint per modum superadditum extraneum subiectum respicere retento respectu ad proprium ipsis identificato. Similiter præsentia poterunt respicere per modum superadditum spatium alienum retento respectu ad proprium cum illis identificato. Consequentius philosophati sunt alij Magistri, qui eodem modo de omnibus hanc doctrinam tradunt & affirmant actionem per se ipsam dependentem ab hoc principio, hac dependentia retenta posse per modum superadditum ab alio dependere.

3 Affirmo cum communi sententia præsentiam respicientem hoc spatium non posse neque de potentia Dei absoluta aliud respicere per modum superadditum, & ita non posse corpus habere Romæ præsentiam, quam habet Matriti. Moneo me ad hanc sententiam defendendam consensus omnium doctorum in hac re, & debile fundamentum, cui opposita innititur, ea enim quæ contra communem sententiam traduntur singulæ ratione debent probari, non purâ argumentorû evasione, præter quam nihil inuenio, quod hanc singularem propugnet sententiam. Secundò illa quæ consequenter fati ad hanc doctrinam dicuntur de actione terminante aliam actionem, illam nihil difficiliorem reddunt, & pluribus absurdâ esse suaderent, actionis enim actionem dari nullus hucusque probatus Philosophus non absurdum esse putauit. Insuper quis non rideret hominem dicentem posse præsentiam quam modò hic habeo fieri Romæ præsentem me tantum Compluti existente? quod inferri ex hac sententia sic suadeo: Si modò præsentiam hanc quam habeo Compluti poneretur Romæ per modum superadditum, illa esset Romæ, ut supponimus & ego non essem Romæ per præsentiam, quam hic habeo, & denuo Romæ est posita, quia licet ipsa modò sit Romæ, & antea non fuisset, tamen intrinsicè eadem est, & non potest per se ipsam præstare effectum, quæ antea non præstabat, quidquid enim entitas præstabat per se ipsam quocumque alio adueniente, vel deficiente semper præstat, sed antequam haberet illum modum non me Romæ constitueret: ergo neque modo per se ipsam me Romæ constituet. Neque ego calu posito essem Romæ per modum superadditum meæ præsentia, quia ille modus non est modus mei, sed meæ præsentia: ergo non me, sed meam præsentiam præsentem constituet: ergo ex eo quod mea præsentia sit Romæ per modum superadditum, ego ex nullo capite ero Romæ: ergo secundum hanc sententiam potest mea præsentia esse Compluti & Romæ & ego tantum Compluti. Quod si quis hoc velit deuorare, audacia non ingenio vincet eos, qui à communi Philosophorum consensu sine fundamento recedere nolunt.

4 A priori impugnanda est hæc sententia ex incapacitate præsentia ad recipiendam aliam, & ad determinandam vnionem cum alia præsentia, quam incapacitatem infero ex eo quod nullum sit fundamentum ad affirmandum præsentias talem capacitatem habere, quod saltem respectu existentium mihi firmum est, non enim debemus sine positio fundamentum virtutes ignotas entitatibus cōcedere. Secundò quia præsentia ex sua natura essentialiter ordinatur ut subiectum præsens constituitur, & spatium respicit propter subiectum ut illud in tali spatio constituat: ergo tantum potest respicere spatium, in quo potest subiectum constitui: sed præsentia quam habeo Compluti non potest me constituere in spatio Romano, quod per se non respicit, quia præsentia tantum constituit corpus in spatio, quod per se respicit: ergo non potest respicere spatium Romanum, adhuc per modum alium superadditum. Vltimò impugnatur hæc ratio, ratione, quæ sæpè vltis sum ad probandum non posse vnâ actionem aliam tanquam termi-

num respicere, quia ex natura sua esset superflua, semper enim terminu respiceret, quia illa ablata esset per se ipsam existens, quod etiam contingeret in præsentia efficiente aliam quæ subiectum afficeret per se ipsum in spatio constitutum independenter à præsentia superaddita. Hæ rationes non ita rem demonstrant, ut non possit quis facile respondere, verumtamen nullam adducunt, qui oppositam sententiam defendunt, quæ cum illarum aliqua possit comparari, illisque accedit totius scholæ consensus circa conclusionem, quam propugno, quibus inconcussa debet stare sententia ab omnibus admittenda.

Ad exemplum adductum de vnione integrali quantitatis, quæ per se ipsam respiciet partes quantitatis per aliam vnionem respicit materiam, Respondeo, speciale esse fundamentum ad hanc doctrinam admittendam in omnibus, quæ caremus in actionibus, & præsentis, constat enim vnionem integram quantitatis vniri materie & separari ab illa: ex quo rectè inferimus terminare aliam vnionem superadditam, nunquam autem experti sumus præsentiam aliquando respicere, & aliquando non respicere spatium distinctum ab illo, quod semper per se ipsam respicit, si curi neque experti sumus actionem aliquando dependere, & aliquando non dependere à distincto principio ab illo, à quo semper per se ipsam dependet: ubi autem diuersum est fundamentum, diuersa est philosophandi ratio seruanda. Ratio huius diuersitatis hæc esto: Præsentia huius subiecti tantum ordinatur ad subiectum præsens constitutum, & ita tantum potest respicere spatium, in quo subiectum constituit ut supra dicebam. Vnio verò integralis quantitatis non tantum est propter vnionem partes quantitatis, quas afficit, sed propter constituendum quantum subiectum, ac proinde præter partes quantitatis, quas per se ipsam respicit, potest respicere subiectum, quod quantum constituit, quia materia prima non tantum quanta constituitur partibus integralibus quantitatis, sed etiam vnionibus earundem partium, tota enim quantitas secundum partes, & vniones, quas includit materiam quantificat.

§. II.

Quæ accidentia possit corpus bilocatum habere vtroque.

PRIMA CONCLUSIO. Omnia accidentia, quæ propter ipsorum impossibilitatem formalem, aut propter incapacitatem subiecti non potest corpus habere simul naturaliter, aut supernaturaliter in eodem loco, eodem modo illa habere non poterit, etiam si in duplici loco constituantur. Exempli gratia: non potest corpus naturaliter in vno loco esse calidum ut octo, & frigidum ut octo, neque constitutum in duplici loco poterit naturaliter esse in vno calidum ut octo, & frigidum ut octo. Similiter in probabili sententia non potest homo etiam supernaturaliter in vno loco constitutus habere assensum, & dissensum circa idem obiectum, neque supernaturaliter poterit postquam fuerit in duplici loco constitutus, in vno assentiri, & dissentiri in alio circa idem obiectum. Ratio facilis est: impossibilitas formarum non est in ordine ad spatium comune, sed in ordine ad subiectum commune: ergo quantumuis loco separantur, si subiectum commune maneat, habebunt eandem impossibilitatem, & eandem repugnantiam inter se, quia calor introductus in hoc subiectum non petit præcisè ne frigiditas informet subiectum in hoc loco, sed absolute petit ne frigiditas informet subiectum, seu negationem frigiditatis informantis hoc subiectum, quod est petere ne frigiditas in hoc loco, neque in aliquo alio subiectum informet. Similiter quando subiectum ex defectu capacitatis non potest dum existit in vno loco duplicem formam recipere, etiam si in duplici loco constituantur, manet cum eadem incapacitate: quia noua præsentia non addit nouam capacitatem subiecto: ergo si non poterat duplicem illam formam in vno loco recipere ex defectu capacitatis, neque in duplici loco poterit formas illas recipere. Quod si non posse duplicem formam recipere subiectum existens in vno loco, non ex defectu capacitatis, sed ex defectu applicationis proueniret, illas posset recipere existens in duplici loco, quia iam noua applicatio per nouam præsentiam illi adueniret, ex defectu cuius non poterat formas illas recipere. Rem declarat exemplum: non potest idem ignis calefacere duo corpora, quorum vnum Romæ, alterum existit

Matriti, non ex defectu virtutis quia si utrumque corpus Matriti existeret, posset calefieri ab igne, quem suppono Matriti existeret, si autem illi igni noua addatur presentia, ex vi cuius Romæ constituitur, poterit utrumque calefacere.

7 Ex hac conclusione infero, quod si corpus existens Matriti, & Romæ utrobique calidum, vel tantum Romæ, frigeret, calorem à subiecto esse expellendum non tantum Matriti, sed etiam Romæ. Rationem dedit: frigiditas petit negationem caloris in hoc subiecto: ergo petit ne calor Matriti, neque Romæ subiectum informet. Secundò frigiditas petit corruptionem caloris: ergo petit calorem nullibi manere, quod enim alicubi manet corruptum non est. Obiicies sequi ex hac doctrina agens naturale naturaliter agere in distans. Respondeo agens naturale posse naturaliter agere in passum distans, quando passum non tantum est distans, sed etiam propinquum ut contingeret in nostro casu. Secundò, respondeo frigiditatem corruptentem calorem non agere physicè sed moraliter, quia corruptio caloris non physicè, sed tantum moraliter ab informatione frigiditatis procedit, & inconueniens non esset agens naturale moraliter agere in passum distans.

8 SECUNDA CONCLUSIO. Omnia accidentia absoluta à loco, quæ non dependent in conservari à suis causis possunt naturaliter corpus utrobique comitari (dico naturaliter secluso miraculo ponendi eandem entitatem in duplici loco, quod in hac materia supponitur.) Ratio est perspicua: accidentia illa non sunt affixa loco: ergo possunt in quocumque loco constitui, aliàs sunt capacia duplicis presentie: ergo possunt esse in duplici spatio, in quo corpus cui inhaeret fuerit constitutum: ergo possunt corpus bilocatum utrobique comitari.

9 TERTIA CONCLUSIO: Etiam si accidentia dependant in conservari à causa in vno tantum loco applicata corpori bilocato possunt utrobique naturaliter corpus comitari. v.g. potentia visiva existens Matriti, & Romæ potest utrobique habere speciem impressam dependentem in conservari à colore Romæ tantum existentem: Hæc conclusio potest duobus modis defendi. Primò dici potest speciem impressam productam à colore existente Romæ non egere actione existente Matriti terminata ad ipsam existentem Matriti, sed sufficere actionem esse Romæ tantum intimè presentem speciei, ut ipsa species possit esse Romæ & Matriti. Secundò dici posset actionem, & terminum esse Matriti, & Romæ, etiam si principium effectuum talis actionis tantum sit Romæ, quia actio ut fit in duplici loco non indiget in utroque esse principio applicatam, sed sufficit in vno loco hanc habere applicationem, ut in duplici esse possit. Vtroque modo conclusionem defendam. Assero actionem tantum indigere esse applicatam principio in vno spatio, ut possit esse in duplici, quod sic probabo. Ut actio dependeat à suo principio tantum indiget esse illi approximata: ergo modò sit illi approximata poterit ab illo dependere etiam si sit distans. Confirmatur: eatenus distantia potest esse impedimentum ut actio dependeat ab agente, quatenus impedit approximationem, sed casu quo actio in vno spatio esset approximata de facto, distantia non impediret approximationem hanc dependere ab agente, seu non esset impedimentum, ne existeret actio, quæ per se ipsam ab agente dependet. Confirmatur: approximatio actionis ad suum principium tantum est conditio ad substantiam actionis: sed substantia actionis intrinsecè est omnino eadem, siue sit in duplici loco, siue in vno: ergo eadem omnino conditiones requirit ad substantiam suæ existentie, siue sit in vno loco, siue in duplici: sed quòd est in vno loco tantum petit esse approximata in vno loco: ergo quòd est in duplici præcisè ad substantiam actionis tantum petit esse approximata in vno loco principio, à quo procedit: ergo approximata eadem actionis existens in duplici loco contenta erit ad sui existentiam, modo in vno loco sit approximata agenti.

10 Dices actionem indigere duplici approximatione: tum suo principio, non præcisè sed ad existendum in duplici loco. Contrà: indigere duplici approximatione non existendum, sed ad existendum in duplici loco est indigere duplici approximatione, non actione ipsam, sed duplicem illam presentiam, ex vi cuius actio ponitur in duplici loco: sed duplex illa presentia non indiget duplici approximatione actionis ad suum principium: ergo neque actio ratione sui, neque ratione presentiarum indiget duplici

approximatione ad suum principium ut possit esse in duplici loco. Minorem probabo: cetera patent: presentie efficientes actionem tantum exigunt approximationem cum principis à quibus procedunt, non cum principio actionis, quam efficiunt: ergo presentie efficientes actionem cum producuntur à Deo, & non à principio producunt actionem: ergo actio ratione presentiarum quas recipit à Deo productas, & non à principio, à qua ipsa procedit, non indiget aliqua approximatione cum suo principio: ergo si ratione sui contenta erat unica approximatione, eadem contenta erit, etiam si habeat duplicem presentiam à Deo productam.

Eodem modo defendo posse effectum existere in duplici loco, etiam si in vno tantum sit approximatus actioni. Probatur à paritate actionis unica tantum applicatione indigentis cum suo principio, ut fit in duplici loco. Non magis dependet terminus ab actione, quam actio à principio, neque maiori indiget applicatione terminus circum actionem, quam actio cum principio: sed actio potest esse in duplici loco, etiam si principium tantum sit in vno: ergo terminus poterit esse in duplici loco, etiam si actio tantum sit in vno. Redunt etiam rationes suprà factæ, quia approximatio inter actionem, & terminum tantum est conditio ad existentiam substantie termini secundum se, sed substantia termini est eadem in duplici loco, & in vno: ergo eadem applicatione erit contenta in duplici loco, ac in vno, sed terminus existens in vno loco vnam applicationem tantum expolit: ergo eandem, & non aliam exiget, etiam si existat in duplici loco. Secundò, distantia eatenus tantum obest, quatenus impedit approximationem, sed dum terminus sit approximatus actioni in hoc spatio nulla distantia oberit termino, ut per actionem esse recipiat: ergo poterit esse ex vi actionis hic approximata, etiam si eadem actio ex vi alius presentie distet ab agente.

Obiicies: Actio existens Matriti, & Toleti propterea existens Matriti & Toleti dependet à suo principio: ergo propterea existens Matriti, & Toleti debet esse approximata suo principio: ergo non sufficit ut existat Matriti, & Toleti, esse approximata suo principio tantum Matriti. Eodem modo fit argumentum de actione respectu termini: terminus existens Matriti, & Toleti, propterea existens Matriti, & Toleti dependet ab actione, seu per actionem, ex vi cuius producitur: ergo ut fit Matriti, & Toleti utrobique debet esse actioni approximatus, & non sufficit esse approximatum tantum Matriti. Respondeo actionem dependere à suo principio, seu per se ipsam, ac proinde ubicumque sit habet secum identificatam dependentiam, & est essentialiter dependens, ad quam dependentiam existentem in quibuscumque locis sufficiens est conditio, approximatio in vno loco. Ad formam argumenti Respondeo: Actio propterea existens Matriti dependet à suo principio, si illud propterea reduplicet tantum formalitatem actionis, concedo: si illud propterea reduplicet supra actionem presentiam, ex vi cuius est Matriti, sicuti reduplicare videtur, nego: quia secundum hanc rationem ab illo dependet, à quo dependet presentia, ex vi cuius constituitur talis actio Matriti, hæc autem presentia potest produci à Deo, & non dependere proximè à principio à quo procedit actio, sed tantum remotè, seu medià actione, non tantum causalitate, sed tanquam causà materiali huius presentie quæ dependet à suo principio. Eodem modo respondendum est eidem argumento in termino respectu actionis facti, terminus enim formaliter ut existens Matriti reduplicando ly ut supra presentiam, non dependet ab actione, ex vi cuius ipse producitur, sed ex vi cuius producitur presentia per quam Matriti constituitur: quod si reduplicatio cadat supra terminum, per ipsam actionem quantumvis distantem dependebit ubicumque sit.

Ex his inferitur, posita approximatione in hoc spatio inter vnionem, & extrema, seu inter quencumque alium modum, & suum subiectum, posse modum (loquor de entitatibus non affixis loco essentialiter) existere in quocumque alio spatio, etiam si non ibi subiectum comitetur, quia quantumvis strictam approximationem exigit cum subiecto, dum in vno loco sit approximatus illam obinet, & nihil prohibet in alio esse distantem. Recognosce rationes suprà factas de actione respectu principij, quæ eodem modo procedunt de termino respectu actionum.

§. III.

De his, quæ necessario utrobique corpus comitatur.

14 **D**ixi iam quæ accidentia possint corpus existens in duplici loco comitari in utroque, dicam modò, quæ necessario illud comitentur.

15 **Q**UARTA CONCLUSIO. Quotiescumque subiectum patitur aliquam corruptionem partis vel formæ inhaerentis cuiusvis modi, aut entitatis, eandem patietur vbiicumque erit entitas illa corrupta, verbi gratia, erat corpus secundum omnes sui partes infinitas, & secundum omnia accidentia sibi debita Matriti, & Toleti, eo ipso quod Toleti diuidatur brachium, Matriti continget eadem diuisio, & eo ipso quod Matriti corrumpatur pars aliqua subiecti, vel aliquod accidens illi inhaerens, vt si Matriti moriatur, similiter Toleti mori necesse erit, quæ omnia ita sunt necessario connexa, vt aliter de potentia Dei absoluta contingere non possint. Ratio est facilis: brachium diuidi, seu corrumpi vniõnem inter brachium & corpus, quod est idem, & corrumpi partem aliquam corporis vel accidens illi inhaerens, seu viuens mori, non dicit tantum negationem præsentiae entitatis corruptæ in hoc loco, seu entitatem corruptam non esse in hoc loco, sed entitatem non existerem in rerum natura: vnde vt dicatur hoc accidens alicubi corruptum, necesse est non esse illius entitatem in rerum natura, & consequenter nullibi esse, quia quod non est existens, alicubi esse non potest: ergo eo ipso quod corrumpatur entitas existens Matriti definit esse in rerum natura: ergo definit esse in omnibus locis, in quibus antea erat: ergo si erat Matriti, & Toleti definit esse, definit esse Matriti & Toleti: ergo implicat corrumpi entitatem existentem in duplici loco, & non corrumpi in utroque, cum definat esse in utroque, & in illo loco dicatur entitas corrumpi quando incipit non existerem, in quo immediatè antea erat. Confirmatur: si existente homine Matriti & Toleti, illius vniõ definit esse Matriti, & Toleti permaneret, tantum fuisset corrupta præsentia, quam habebat vniõ Matriti, & non entitas vniõis, quæ Toleti permanebat: ergo ad hoc vt corrumpatur requiritur nullibi esse, seu permanere, & implicat vniõnem corrumpi, & alicubi existerem.

16 Ex hoc inferes, quod si viuens ponatur Matriti, & Romæ, & postea definat esse Romæ illius forma, & tantum ibi permaneat materia: Matriti verò perseueret materia & forma, tunc dici non posse, viuens Romæ esse mortuum, bene tamen Romæ non viuere, quia Romæ non erat illius vita, quod sufficit vt dicatur Romæ non viuere, non tamen vt dicatur mortuum esse, quia Romæ mortuum esse dicit immediatè antea Romæ extitisse, & modò non existerem in rerum natura. Sic de Petro modò Compluri tantum existente verè dicitur Romæ non viuere, & dici nequit Romæ esse mortuum, aliud enim est Romæ non viuere, aliud Romæ mori, vt saepe dixi. Hæc si attentè inspiciantur, per se nota sunt.

17 **Q**UINTA CONCLUSIO. Naturaliter loquendo omnia accidentia independentia à loco, etiam si dependeant in conseruari à causis applicatis in vno tantum loco, & omnes actiones, ex vi quarum accidentia producantur, comitantur corpus vbiicumque fuerit. Dico, naturaliter loquendo, non quia naturaliter possit poni aliquod accidens in duplici loco, sed quia ex suppositione, quod Deus de potentia absoluta corpus in duplici loco constituat, congruum est, vt eadem potentia ibidem simul accidentia constituat. De accidentibus, quæ non dependent in conseruari ab aliqua speciali causa applicata tantum in vno loco, Probatur nostra conclusio ex sacrosancto Eucharistiæ mysterio, in quo ex vi verborum sub speciebus panis tantum ponitur corpus Christi, & sub speciebus vini tantum ponitur sanguis, quia tamen naturale est vt corpus sanguinem comitetur, & sanguis corpus, inferunt Theologi, Patres, & tota Ecclesia sub utraque specie esse corpus, & sanguinem Christi: ergo naturale est vt vbiicumque sit corpus illud comitentur omnia, quæ in vno loco naturaliter illud comitantur. Doctrinam hanc specialem non habere difficultatem in accidentibus, quæ in conseruari dependent à causa applicata in vno tantum spatio, neque in actionibus per se ipsas dependentibus à causis in vno tantum loco applicatis constat ex conclus. 3. in qua probauimus sufficere applicationem factam in vno loco, vt hæc acci-

dentia & actiones per se ipsas dependentes à suis principiis possint esse in pluribus locis.

18 **S**EXTA CONCLUSIO. Non ita necessarium est hæc accidentia in omni loco corpus comitari, vt non possit Deus corpus Matriti album conseruare, & Toleti non album. Ratio est: albedo constituitur præsens per præsentiam distinctam à præsentia corporis, quod afficit: ergo potest Deus duplicem præsentiam corpori præstare, & vnicam albedini: ergo potest corpus esse Matriti, & Toleti per duplicem præsentiam, & albedo Matriti tantum per vnicam præsentiam: ergo potest corpus esse album Matriti, & non esse album Toleti, quia non esse album Toleti, nihil aliud est, quam non habere præsentiam Toleti. Secundo, quando corpus existit album Matriti & Toleti, præsentia, quam habet albedo Matriti est distincta à præsentia, quam habet Toleti, & à præsentia quas habet corpus Matriti, & Toleti: ergo poterit deficere præsentia, quam habet Matriti, reliquis aliis permanentibus: ergo poterit corpus permanere Matriti, & Toleti, & esse album Toleti, & non esse album Matriti, non ex eo quod corpus non habeat albedinem, sed ex eo quod non habeat albedinem præsentem Matriti, quia corpus Matriti esse album non solum dicit corpus Matriti existerem, & habere albedinem, sed Matriti existerem, & habere albedinem præsentem Matriti.

19 Ex hac doctrina friget ratio, qua intendit probare P. Rub. tractat. de loco, quæst. 8. quem plures recentiores sequuntur, implicare corpus esse album in vno loco, & non in alio, quia sequeretur idem corpus esse album & non esse album, quæ sunt contradictoria, quia albedo & non albedo corpori conueniunt independentem à loco, ex quo inferri intendit hanc esse legitimam consequentiam: Corpus est album Matriti, & non est album Toleti: ergo absolute corpus est album, & non est album. Ex dictis patet quam inefficax sit hæc argumentatio, & male inferatur ex eo quod corpus non sit album in hoc loco, verbi gratia, Toleti, absolute non esse album, quia non esse album Toleti non dicit negationem albedinis, sed dicit negationem albedinis habentis præsentiam Toletanam, seu negationem præsentia, ex vi cuius albedo Toleti constituitur: & sicut hæc est mala consequentia: albedo non est præsens Toleti: ergo albedo non citra hæc est mala illatio: corpus non est album Toleti: ergo non est album, arguitur enim à non amplo ad amplum negatiuè. Ad rationem dubij respondeo corpus esse album, & non esse album esse independentem à loco, ac proinde si corpus sit album siue existat in hoc loco, siue in illo poterit dici corpus esse album, esse tamen album Matriti, aut Toleti non esse independentem à loco, quia esse album Matriti dicit formaliter albedinem, & præsentiam ex vi cuius Matriti constituitur, & esse album Toleti formaliter dicit præsentiam albedinis. Hæc dixerim in mea sententia, quæ accidentibus proprias concedit præsentias, in opinione verò, quæ illa per subiecti, cui sunt vnita, præsentiam in loco constituit, existimo implicationem inuoluere esse accidens vni-tum subiecto existenti in duplici loco, & ipsum accidens in utroque loco non existerem.

20 **S**EPTIMA CONCLUSIO. Quotiescumque passum existens Matriti, & Romæ immutatur ab aliquo agente extrinseco per receptionem alicuius accidentis, caloris, verbi gratia, eundem calorem acquirit in utroque loco, & eandem receptionem utrobique præsentem habet, poterit tamen, diuinà interueniente potentia calorem in hoc loco recipere, & non in alio. Hæc conclusio ex duplici præcedenti inferitur, quia sicut naturale est poni corpus cum omnibus suis accidentibus vbiicumque ponatur, ita naturale est vt corpus, quod aliquod accidens in hoc loco recipit, illud recipiat vbiicumque existat. Conclusio hæc neque propugnari, aut impugnari potest ex aliquo principio naturali, aut ratione metaphysica, sed tantum nititur morali quadam congruentia, ex vi cuius Deus tenetur ex suppositione, quod corpus conseruet in duplici loco omnia accidentia, quæ illi superueniunt, in duplici loco constituit, quam si quis neget, & asserat ex hoc capite tantum teneri Deum corpus primo collocare cum eisdem accidentibus in omni loco, in quo vel illud constituit, postea verò non teneri noua illa accidentia, quæ corpori in hoc loco contingunt, in alio constituit, nulla ratione conuincitur poterit.

21 Obiicies contra conclusionem traditam: Posito passo Matriti

Matriti & Romæ, si agens tantum sit Matriti applicatum, tantum poterit agere Matriti: ergo passum tantum poterit Matriti recipere, quia actio, & receptio sunt idem: ergo non poterit Romæ effectum recipere. Multa latet aequivo-
catio in primo antecedenti, illam aperio. Agens existens tantum Matriti applicatum passio existenti Matriti, & Romæ tantum posse agere Matriti, potest hunc sensum habere, tantum potest agere per actionem præsentem tantum Matriti: vel potest alium reddere: tantum potest agere per actionem procedentem à principio existenti tantum Matriti, siue actio existat Matriti tantum, siue in pluribus aliis locis. In hoc sensu ultimo propositio vera est, in primo est distinguenda. Actio existens Matriti tantum potest agere per actionem existentem tantum Matriti ex vi agentis à quo procedit, seu quæ tantum petit Matriti existere ex eo quod procedat ab agenti existenti Matriti, concedo: tantum potest agere per actionem Matriti tantum præsentem absolute, ita ut ex eo quod hæc actio procedat ab hoc agenti existenti tantum in hoc loco repugnantiam habeat ad existendum in alio loco, si fuerit principium ali-
quod, ex quo in alio loco ponatur, nego, itaque in casu dato agens applicatum tantum Matriti ageret per actionem existentem Matriti, & consequenter per actionem existentem Romæ, quæ est eadē, non tamen ageret per actionem ut existentem Romæ formaliter, quia ita formaliter sumpta actio reduplicat præsentiam Romanam, quæ non est ratio agendi respectu principij existentis Matriti, & strictè loquendo, neque ageret per actionem ut præsentem Matriti, quia præsentia Matritana, quam habet actio non est ratio agendi, imò probabile est non dependere à principio actionis, tantum est verum dicere, ex vi principij hoc modo applicati, debere actioni hanc præsentiam Matritanam, & non Romanam, quia principium Matriti præfens exigit subiectum præfens Matriti, & cum actioni debeatur præsentia in loco, in quo est subiectum, remotè debetur actioni præsentia Matritana ex eo quod principium sit Matriti applicatum.

21 OCTAVA CONCLUSIO: Omnes actiones, vitales amandi, intelligendi, videndi, & audiendi comitantur vivens ubicumque sit. De actionibus vitalibus intelligendi, & amandi ferè omnes sententur, quia actiones hæc non dependent à principijs obiectorum, & anima quæ est illarum principium cum speciebus, & habitibus supponitur in omni loco cum eisdem principijs ad operandum. De sensationibus externis negant nonnulli hanc conclusionem, contra quos tradidi conclus. 3. accidentia, & actiones dependentes in fieri & conservari à suis principijs tantum indigere esse applicata in unico spatio, ut possint esse in pluribus.

22 Obiiciunt recentiores contra hanc repetitionem sensationum externarum: visio existens Toleti representat arcem Regiam cum tanta distantia: ergo existens Romæ debet representare eandem arcem cum eadem distantia, sed non potest Romæ illam cum eadem distantia representare, quia illam Romæ non habet, sed aliam longè maiorem: ergo talis visio Romæ esse non potest. Respondeo visionem existentem Toleti representare arcem Regiam cum tanta distantia viginti passuum, verbi gratia, ab alio corpore existente Toleti à Cathedrali templo, v. g. & à me existente Toleti, quam distantiam inter eademmet extrema representaret visio Romæ posita, ita ut visio existens Romæ representaret arcem Toletanam non ut distantem à templo Romano S. Petri, neque à vidente ut existente Romæ, sed ut distantem à vidente ut existente Toleti & ab Ecclesia Toletana in qua nulla est repugnantia, quia tunc visio Romæ existens non representaret distantiam, quæ esset Romæ, sed quæ esset Toleti. Eodem modo visio, quæ Romæ videretur templum D. Petri distans à Capitolio, per tot passus, si Toleti poneretur representaret idem templum distans ab eodem Capitolio, non verò distans ab arce Toletana. Itaque Toleti esset visio representans distantiam inter corpora Romana, quæ non representaret distantia à Toletanis, & Romæ esset visio, quæ representaret distantiam inter corpora Toletana, non verò inter corpus Toletanum, & Romanum, quia hæc distantia neque per visionem existentem tantum Romæ, neque per visionem existentem Toleti tantum videretur, & repetitio præfentiarum Matriti & Toleti non constituit obiectum aliquod visum, quod non videbatur, dum quælibet visio simplicem præfentiam habet. Si dubites an corpus existens Romæ & Toleti vi-

dens templum Capitolium Romæ existens, & arcem Regiam Toleti videat distantiam inter Capitolium, & arcem Regiam, negativè respondeo, quia distantia non videtur corporibus intermediis inter utrumque obiectum non visis, cum autem illud videns non videret corpora intermedia inter Capitolium, & arcem, non videret utriusque distantiam.

PUNCTUM XI.

An duplex corpus possit esse in eodem loco.

Non posse naturaliter duplex corpus eodem contingere spatio negare non poterit, qui non audeat manifeste sensum experientie contradicere. Cur enim si corpus posset corpus intra se recipere, glans arca murum quateret, & toto illius impetu contracto resiliiret. Quomodo si terra nobis penetrationis repugnantia aditum non occluderet, propria gravitate non præcipites ad centrum vique rueremus, possemusque pedem tutè solo figere? Quomodo nos navis sustinet ne aquis demergamur, nisi quia dum nos in proprium non admittit spatium, nos continet ne ad aquarum spatium perveniamus? Est ergo inter Philosophos omnino certum non posse corpus corpore penetrari.

Duo contra hanc veritatem levis momenti solent obijci. Primum, vas plenum aqua nummos in se continere, retenta tota aqua, quam antequam nummi inticerentur continebat. Secundum vas cinere plenum tantum in se aquam continere, quantum reciperet omnino vacuum cinere. Neutrum credo. Forasan tamen nummulum aliquem continere valebit aquæ vas, cuius labra siccitate aquam coercent, ne diffuset, sed ut rursum attollatur ad occupandum novum spatium, loco illius, quod nummus occupabat. Ad secundam experientiam dico cinerem aquæ pondere, ut humectatione comprimi, & multum aeris intra se contentum expellere, quo expulso plus spatij aquæ relinquitur, tum etiam ratione aliarum partium, quæ in subtilissimos spiritus evanescent, numquam tamen tantum spatium aquæ permittitur, quantum daretur si vas omnino cinere vacuum esset.

Difficultas est quomodo corpus vnum loco pellat aliud. P. Rub. tractat. de loco, quæst. 6. num. 71. ait corpus vnum formaliter aliud à loco expellere, & penetratione resistere. Difficilis mihi hic resistendi modus est, quia corpus intendens ingredi spatium alterius non intendit subiectum commune informare, quia penetrata corpora non mutuo informantur, neque illorum præfentia idem respiciunt subiectum illis realiter neque quidquam est commune, spatium enim ut sæpe dixi est quid chimæricum, & corpora non realiter sunt in spatio: ergo nihil est in ordine ad quod hæc corpora penetrata formalem possint habere resistantiam, quam semper cognoscimus in ordine ad aliquod commune, à quo se expellunt, sic calor, & frigus quæ formaliter opponuntur, resistantiam habent non præcisè secundum suas entitates, sed in ordine ad idem subiectum. Posset aliquis dicere præfentias illas ex vi quarum duo corpora essent penetrata opponi præcisè secundum suas entitates sine aliquo respectu ad aliquid illis commune: ita ut præfentia huius corporis eo ipso quod existat in rerum natura exigat, ne existat præfentia, ex vi cuius subiectum illius præfentia, & huius subiectum penetrarentur. Hoc resistantia genus non ex alio capite potest impugnari, nisi quia gratis, & absque villo fundamento fingitur, absque villo exemplari in rerum natura inuento, nullas enim entitates agnovimus, quæ repugnantiam habeant inter se nudè sumptas, nisi in ordine ad aliquod subiectum, principium, vel terminum commune. An talis præfentiarum impossibilitas formalis resistantia dicenda esset, casu quo daretur, quæstio posset esse de nomine, cum enim non esset per informationem subiecti communis, sicuti est resistantia, quam habent calor & frigus, non ita propriè formalis resistantia diceretur, bene tamen ad hoc resistantia genus reduceretur, quia non esset per aliquem actuum influxum, sed præcisè per exigentiam, quam per se ipsas haberent præfentia, ut una posita Deus aliam præexistentem destrueret, vel non antea existentem ne produceret.

Facilius percipio hanc corporum resistantiam in genere 4
causa

causæ efficientis per impressionem impulsus, ex vi cuius corpus acquirit præsentiam in spatio distincto ab illo, quod corpus imprimens talem impulsum intendit occupare, vel per immediatam productionem præsentie in spatio distincto ab illo, quod intendit occupare corpus se mouens, quod non solum facit, ne corpus aliud quod loco pellit, illud spatium occupet, sed illi nouam aliam præsentiam producat, quæ formaliter antiquam expellit, quia corrupta succedit corpus aliud in spatio quod antea hoc occupabat, absque penetratione aliqua.

Obiiciunt: Quantitas actiue tantum resistit penetrationi: ergo poterit illius resistentia vi Angelica vinci. Maiorem enim impulsum poterit imprimere Angelus ut corpora penetrantur, quam corpora ne penetrantur. Respondetur, nullum impulsu posse imprimere Angelum ex vi cuius corpora penetrantur, quia vel illum imprimi vni tantum corpori, vel maiorem huic & minorem alteri, vel vtrique æqualem impulsu posse imprimere. Si vtrique æqualem, cum quodlibet corpus intendat alterum proprio pellere loco versus partem oppositam, versus quam corpus impulsu sibi impresso se intendit mouere & æqualis sit virtus & resistentia vtriusque, nullum vincet, & ita vtrumque proprium locum seruabit, nulla penetratio facta. Si inæqualiter impellantur, corpus, quod maiorem habet impulsu remouebit alterum à proprio loco, & illi absque ulla penetratione succedet.

6. Posse duo corpora supernaturaliter penetrari omnium scholasticorum consensus tanquam omnino certum stabilit, si ab his Durandum excipias, qui in 4. dist. 41. quæst. 6. vtramque partem problematicè defendit; sentiunt multi facis literis veritatem hanc stabilitatem esse, ex quibus habes illa purissimo Virginitatis vtero Christum Dominum in lucem editum esse, & clausis ianuis cœnaculum introisse, & apud Paulum ad Hebræos 4. legitur: *Habentes Pontificem, qui penetravit celos seipsum*, &c. Quæ absque penetratione corporum in eodem loco fieri nun potuerunt. Cæterum non multum hæc testimonia vrgere videntur, quia posset quis dicere Christum Dominum sine transitu per medium intererato Virginitatis clausuro ex vtero fuisse egressum, & simili modo cœnaculum introisse relicta vna præsentia, & immediatè alia distante producta. Ad illud Pauli dici potest verbum *penetro* diuerso modo sumi inter Latinos, ac inter Philosophos, apud illos enim idem sonat corpus penetrare, ac ad illius intimas partes peruenire, sic dicitur maria penetrasse, qui summo se mari credidit.

7. Efficacius probo hanc sententiam ex Eucharistie mysterio, in quo omnes partes corporis Christi in quocumque indiuisibili spatio, sunt inuicem inter se penetrata, & cum quantitate panis. Dices in Eucharistia corpus Christi habere præsentiam definitiuam, cui non repugnat penetratio partium, potius illam essentialiter inuoluit, corpus autem circumscriptiuè præsens ex vi huius præsentie fieri impenetrabile. Si hac solutio posset subsistere ex illa posset responderi testimoniis scripture adductis potuisse Christum præsentiam assumptis definitiuam circumscriptiuam relicta, dum percurreret spatium occupatum Beatissimæ Virginitatis corpore, & cœnaculi ianuis vt posset se penetrare. Admitto præsentiam definitiuam distinctam esse à circumscriptiuâ, & arguo à paritate vtriusque, non est enim de ratione præsentie definitiuæ penetrare corpus definitiuè existens cum alio corpore existenti circumscriptiuè, & tamen quantitas Christi existens definitiuè in Eucharistia penetratur cum quantitate panis existente circumscriptiuè: ergo eodem modo poterunt duæ quantitates circumscriptiuè existentes idem spatium occupare.

8. Ratione prædicta sententia probatur: nullum est caput, ex quo in ordine ad potentiam diuinam penetratio corporum circumscriptiuè existentium repugnet: ergo poterunt penetrari. Antecedens probo: repugnantia capacitatis non oritur ex incapacitate subiecti, aut spatij vt probauimus, sed tantum ex influxu actiuo, quo vnum corpus aliud remouet à loco quem intendit occupare, vel ex eo quod vna præsentia exigat non esse alterius. Sed potest non concurrere actiue cum quantitate vt moueat aliud corpus, & concurrere vt producat præsentiam, & similiter potest contra existentiam huius præsentie aliam conseruare: ergo potest Deus non obstante natia impenetrabilitate duorum corporum, illa contra propriam existentiam atque virtutem penetrare, in quo nulla potest excogitari repugnantia.

Maior est difficultas, an duplex corpus graue penetratum moueretur naturaliter. Negat Pater Vasquez, quia sequeretur naturaliter denuò penetrari, quia vel moueretur simul, & sic acquirerent aliud nouum spatium vtrique commune, & naturaliter daretur alia penetratio, vel moueretur vnum, & non aliud, & sic similiter daretur noua penetratio, qui partes profundæ corporis acquirerent spatium quod habebant partes aliæ alius corporis: cum quo facta fuerat penetratio, & ita pars quæ antea fuerat penetrata cum hac parte per motum cum aliis penetraretur. Censeo propter hanc rationem non posse ex duobus corporibus diuisibilibus inter se penetratis vnum moueri immoto alio. Affirmo tamè duo illa corpora naturaliter simul esse mouenda, rationem accipe. Corpus tantum resistit penetrationi per impressionem impulsus, quo semel deincto naturaliter durat penetratio, quæ non nisi supernaturaliter potest dissolui, quia dissoluenda erat per motum vnius quantitatis altera immota, vel se versus aliam partem mouente, quod contingere non potest, vt supra dicebam, aut per destructionem subiecti: quantitas verò, cui penetratio contingit corrumpi non potest secundum aliquam partem sui ab aliquo agenti naturali. Quod si supposita hac penetratione miraculosè facta naturaliter durat, quia non est agens naturale, à quo possit destrui, sic posita penetratione corporum poterit alia eisdem corporibus contingere naturaliter propter eandem rationem, nulla enim erit causa, quæ illam impediat, quia nullum corpus poterit aliud impedire, ne acquirat spatium, quod intendit, & cum vtrumque corpus penetratū idem spatium intendat acquirere, illud naturaliter acquirunt. Non potest hæc corpora impediri mutuo, ne quodlibet acquirat spatium, quod intendit, sic probo. Vnum corpus impedit aliud ne hoc spatium acquirat imprimendo illi impulsu, ex vi cuius ab illo remouetur, & in alio spatio constituitur: Corpus graue penetratum cum altero si illi impulsu aliquem imprimeret esset vt illum secum traheret versus illam partem, versus quam se mouere intendebat cum se non posset mouere, nisi corpus aliud secū traheret: ergo potius vnum corpus alterum penetratum iuaret, vt moueretur, quam illud impediret per impulsu, sed nullo alio modo potest corpus impedire motum alterius: ergo nullo modo poterit corpus penetratum secum penetrati motum impedire: ergo vtrumque simul mouebitur.

Ex his soluta manet obiectio, quæ sese præ oculis offert. Idem corpus positum supernaturaliter in duplici spatio non potest naturaliter duplex aliud spatium acquirere: ergo duplex corpus positum supernaturaliter in eodem spatio non potest aliud spatium vtrique commune acquirere. Cuius disparitatem ex doctrina tradita facile reddo. Corpus supernaturaliter positum in duplici loco nõ nisi supernaturaliter in eodem conseruari potest, quia præsentia, ex vi quarum est in duplici loco per se ipsas repugnant, & ita semper remanent cum eadem repugnantia, & similè aliam habent, quacumque aliæ duæ, quæ denuò producerentur, & ita naturaliter produci non poterunt, penetratio verò semel supernaturaliter facta naturaliter potest conseruari, & alia loco illius succedere, quia repugnantia penetrationis non est per resistentiam præsentiarum, quæ semper remanet, sed per impulsu, quem vnum corpus imprimit alteri, ne cum illo penetraret, & cum hunc non possit imprimere, nisi supponatur non penetratum cum illo, & in diuerso loco constitutum, postquam semel est penetratum cessat resistentia penetrationis quousq; se iterum constituentur duo illa corpora posituè vnum extra aliud. Hæc ita composui in sententia asserente corpora actiue tantum penetrationi resistere, quam veriore puto, si autem dicatur præsentias ipsas, ex vi quarum fit penetratio per suasmet entitates opponi, & quasi formaliter resistere, dicendum est corpora penetrata non posse naturaliter moueri, etiam versus eandem partem, quia præsentia acquirendæ inter se essent repugnantes, & ita non possent naturaliter produci.

PUNCTVM XII.

De vacuo.

Vacuū vulgè definitur: *Locus non repletus corporibus, aptus tamen repleti.* In qua definitione redundare videtur illud *aptus repleti*, quia eo ipso quod sit locus, & non sit repletus

repletus habet aptitudinem ut repleatur. Differt ab inani seu vacuitate illa, quam extra celos concipimus, quia illa nullis terminis circumscribitur, vacuum autem dici superficiem concavam corporis terminantem spatium, quod repleti possunt corpora intra illam contenta. Vacuum naturaliter dari non posse eruditè probant nostri Eustitani lib. 4. q. 1. quod satis monstrant nouissima experientia; videmus enim attracto aëre per fistulam aquam sursum ascendere ut repleat spatium relictum ab aëre ne detur vacuum, & aquam detineri in cucurbita, etiam si ore aperto illam effundere conemur, quovisque via pandatur aëri occupaturo spatium ab aqua relictum. Ex his constat hanc esse rerum naturam, ut vacuum abhorreant, quam, ut postea ostendam, neque Angelus inuerrere potest, ut non bene docuere plures recentiores.

2. Receptissima omnium ratio, propter quam corpora intendunt vacuum vitare, est, ne priuentur sublunaria corpora celesti influxu. Non illi acquieuit Arriag. disp. 14. sect. 11. qui sic arguit. Etiam si corpora sublunaria nullum supra se haberent, possent per corpora lateralia celestes influxus: ergo non indigent corpora esse contigua aliis corporibus supra se positus ad hos influxus habendos: ergo ex hoc capite non repugnabunt separationi locali omnium corporum, quæ supra poni possunt. Inermis ratio ut contra communem sententiam omnium ferè Philosophorum possit prævalere. Respondeo corpora recipere influxus celestes non solum per alia corpora lateralia, sed per illa quæ supra se habent, imò præcipuè per hæc, quàm per illa, & ideo omnium contiguitatem appetunt, quia omnium contiguitas illis est proficua. Eandem rationem enervare intendit Arriaga ex eo quod non continenter celestia corpora influant in sublunaria, unde per breue tempus ex hoc capite vacuum permittere poterant. Respondeo corpora sublunaria semper appetere perpetuam contiguitatem ut opportuno tempore influentias à celestibus recipiant, quia si per breue aliquod tempus, quo illis indigerent, vacuum paterentur, & distantiam corporum permitterent, postea cum contiguitas deperdita illis esset necessaria, non possent eandem recuperare, neque distantia corpora ad se vocare.

3. De causa actiua, quæ corpora mouentur ad suppleendum vacuum dissident Doctores. Afferit Arriaga non aliam ob causam non posse dari vacuum, & moueri corpora ad illud replendum, nisi penetrationis vitandæ causa, quia Deus illa corpora intra concavum Lunæ creauit, quæ illius spatium iuste replerent, ac proinde si daretur aliquod spatium vacuum, alicui corpori deesset spatium, quod necessariò in nihilum esset redigendum, vel cum alio penetrandum. Iuxta hanc philosophandi rationem afferit causam mouentem corpus ad replendum vacuum esse ipsum corpus attractum, quod impulsus imprimit in corpus immediatum ut illi locum præstet, & illud in aliud in cuius spatium est successurum quovisque mediis aliis corporibus impellit corpus quod ascendit, & hoc vacuum supplet, ut locum præstet corpori impulsus imprimenti quod suum spatium relinquit corpori primo attracto, seu moto. Hic dicendi modus difficilè poterit efficaciter impugnari, verumtamen non sine difficultate apprehenditur, quomodo possit aer qui est intra fistulam mouere aërem qui est in ore hominis, & hic alium aërem, & hic alium quovisque vnus aquam contentam in vase à parte inferiori moueat ut ascendat ad replendum spatium relictum ab aëre.

4. Affero cum Patre Vazquez & communi plurimorum sententia, quodlibet corpus virtutem habere attractiuam attrahendi corpus aliud sibi contiguum, quæ efficienter aliud mouet per impulsus illi impressum, quem talis esse nature affirmo, ut non valeat mouere corpus quod aliud sibi contiguum nequit attrahere. Hac ratione explicatur quomodo neque vi Angelica possint folles contigui clauso foramine aërem recipiente inter se separari nisi rumpantur, quia si Angelus alteri folium tabulæ maiorem impulsus imprimit quàm alteri, illa secum rapiet integros folles nulla tabularum facta separatione; si verò vtrique æqualem impulsus imprimit ytraque tabula impulsu versus partes diuersas intender aërem secum trahere, qui æquè versus partes oppositas impulsus versus nullam mouebitur, & ita neque aliqua folium tabula poterit moueri ex vi impulsus quem patitur, quia hic, ut dicebam, non habet virtutem mouendi corpus, quod non potest aliud contiguum attrahere, & cum nulla tabularum possit aërem contiguum secum trahere, illorum nulla potest dimoueri.

Inquiritur hic, an in vacuo possit dari motus localis. Respondeo: grauius, & leuius posita in medio aëre mouenda esse versus proprium cuiusque centrum quia defectus corporis occupantis spatium motum non retardaret, imò ratione illius, motus velocior fieret, quia corpus se mouens nullum haberet impedimentum remouendum, quod haberet si spatium illud vacuum non esset, quia corpora illud occupantia donec remoueantur impulsu corporis se mouentis illius motum retardant. Si tamen semel grauius, & leuius contigua sint superficiei continenti spatium non repletum corpore, nullatenus possent moueri, nisi tantus esset illorum impetus, ut possent secum rapere illam superficiem, quia, ut dicebam modo, nullum corpus potest se mouere, quod secum contiguum trahere non possit: ergo si modo constituas intra totum hoc Lunæ concavum tantum lapidem vnum contiguum parti superiori huius superficiei, moueri non poterit, si non valet Cæli superficiem secum trahere: quod si hoc præstare non potest neque se mouere valebit. Motus progressiuus nullus possit dari in vacuo, quia in medio illius animal non se posset sustinere, & ut primum superficiem aliquam pede attingeret, hunc non posset ab illa remouere. Posset homo brachium sursum leuare, dum numquam corpori contiguum poneretur, quod si semel contiguitatem cum corpore haberet, numquam posset moueri non moto toto corpore, & omnibus partibus illi contiguis. Destructis Cælis in omnino inani grauius, & leuius non mouerentur, quia nullum haberent centrum, quod peterent, neque hoc spatium esset illis magis naturale, quàm quodcumque aliud. Viuentia vix posset motu progressiuo moueri, quia cum primum pede pedem tangerent non possent iterum separari, & partium separatio motui progressiuo necessaria est. Possent eadem viuentia saltare & alios similes motus edere versus quancumque partem, qui iuxta mensuram impulsus extenderentur, & non vltra, quia corpora propria grauitate deorsum non descenderent: in omnino enim inani deorsum non est, neque grauius & leuius mouentur, tantum intentione aut remissione impulsus posset taxari motus.

Vltimò inquiri solet, an motus factus in vacuo vel in inani esset instantaneus, vel successiuus. Respondeo fore successiuum, quia spatium percurrendum à quolibet indiuisibili corporis diuisibile esset, & ita non posset in instanti percurrì, quia in illo instanti non poterat totum illud occupare, quod necessariò occupandum erat relictis hæc præsentia, & alia acquisita, & rursus illa alia relictis, & alia acquisita, quod in instanti fieri non potest.

CONTROVERSIA XVI.

De duratione.



ICUT res dicitur esse in loco, & correspondere spatio imaginario loci, sic in tempore esse dicitur & spatio imaginario temporis respondere. Diximus iam quid sit rem esse in loco, dicendum modo quid sit esse in tempore, & in quo consistat duratio, quæ rei correspondentia ad tempus reale, & imaginarium dicitur. In hac re vna nos tantum premit difficultas, videlicet, in quo consistat ratio formalis durationis, seu correspondentia ad spatium imaginarium temporis, adeò tamen grauis, ut eos tantum non oppræsserit, qui illam non tetigere, existimo enim quodque maximum angendum ingenium, sit rem hanc radicatus euoluat, illamque velit reipsa, & dicendi modo iuste componere.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit duratio.

§. I.

Doctorem placita.

LEUIS poterit in ipso materiæ limine insurgere difficultas, an videlicet prima temporis correspondentia, quam

quam nulla alia præcessit, duratio diceretur, & an res in primò instanti temporis in quo existit posset dici durans: in qua quæstione veluti tota de loquendi modo modus loquendi prævalere debet, iuxta quem res non dicitur durare, sed incipere in primò instanti, in quo existit, duratio enim dicit rei perseverantiam, in primò autem instanti existentie rei non potest dici perseverantia, & ita neque durans, quia perseverantia, & duratio connotant rei existentiam in tempore præcedenti. Itaque duratio, & inceptio differunt accidentaliter eo modo, quo prima productio, & conservatio, eadem enim correspondentia ad tempus, quæ inceptio dicitur, potuit esse duratio, illam enim potuit alia correspondentia præcedere, quia illius subiectum primò productum in hoc instanti B, potuit produci in instanti A, seu in instanti B, eadem correspondentiam ad tempus haberet in instanti B: Iuxta hunc dicendi modum res successiva non deberet dici durare, quia nihil illarum perseverat, neque aliquid illarum est in hoc instanti, quod fuerit in præcedenti, nihilominus prævaluit usus ut motus diceretur durans quando una pars alij præcedenti successit, quia motus, qui fuit in instanti præcedenti, & qui modo est, idem moraliter dicitur, sicuti dicitur idem fluvius, qui modo abluit hæc littora, & qui eadem multis retro annis abluibat, licet nulla pars aquæ quæ antea fuit perseveret modò.

Pater Soar in Metaph. disp. 50. sect. 2. varias refert sententias de natura durationis, quarum primo loco rejicienda est relata num. 3. quæ durationem in negatione superaddita constituit, quia assignari nequit cuius habitus sit illa negatio, quia negatio destructionis est conservatio positiua rei, sicuti destructio est negatio conservacionis, neque huius negacionis alia datur negatio. Neque maiori negotio rejicienda est Thomistarum opinio, quam refert idem Soar num. 7. afferentem rationem durationis consistere in ratione mensuræ quam sic impugno. Ratio mensuræ accidentaliter est entitati adhuc formaliter ut duranti: ergo non constituitur durans ex vi illius. Probo antecedens: ratio mensuræ est extrinseca dependens ab alio extremo & ab intellectu mensurante: sed entitati adhuc ut duranti extrinsece nimis contingit intellectus mensurans unum extremum cum alio: ergo ratio mensuræ rei duranti formaliter ut duranti extrinseca est: ergo ex vi illius non constituitur res formaliter durans. Dices durationem tantum importare mensurabilitatem, seu fundamentum mensuræ actualis, ex vi cuius res constituitur apta, ut possit cum alia commensurari, & esse mensura alius entitatis. Bene est, sed de hac mensurabilitate inquiri, quidnam sitam modum superadditum, an ipsa entitas? æquæ enim nobis est ignota ratio constitutiua durationis.

D. Bonaventura in 2. dist. 2. in 1. part. 2. quæst. 3. PP. Conimbr. hic cap. 14. quæst. 3. & 4. P. Rob. ibid. quæst. 4. & apud hunc Ric. May. Arg. Henr. Jacob. & Scotus, quibus consentit Arriaga disp. 15. docent durationem dicere modum quemdam superadditum rei duranti. Ex his auctoribus quidam putant durationem rerum permanentium esse secundum suam entitatem essentialiter successivam, ita ut distinctus sit modus durationis, ex vi cuius Angelus durat in hoc instanti à modo, ex vi cuius durabit in instanti immediate venturo, & sic in omnibus. Ita Arriaga, & omnes recentiores qui hanc sententiam tuerentur. Alij cum Rubio, & plurimis ex antiquis docent durationem rei permanentis esse intrinsece permanentem, & per eundem modum durationis superadditum Angelum durare hodie, durasse heri, & eras duraturum.

Doctissimus noster Lugo qui semper doctrinâ solidus nihil difficile sine novitate tangit, tom. de Incarnat. disp. 19. sect. 1. num. 20. durationem distinctam à re durante esse affirmat, non tamen illam constituit in modo aliquo superueniente rei iam existentis, sed in actione, ex vi cuius entitas constituitur existens. Itaque ait Lugo res omnes produci, & conservari per actiones essentialiter successivas, ex vi quarum constituitur in diversis temporis instantibus, secundum diversas actiones, quæ rei contingunt, ita ut hæc actio formaliter rem constituat durantem in hoc instanti temporis, quæ sicuti non potest rem in alio instanti temporis constituere, ita neque ipsa potest in aliquo ab hoc distincto existere, sed transacto hoc instanti necessario transit actio, ita ut non possit Deus de potentia absoluta actionem, quæ in hoc instanti existit in instanti venturo

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

existentem constituere, neque adhuc antecedenter potuit illam constituere in aliquo instanti distincto ab hoc, cui est essentialiter affixa, sicuti præsentia spatio imaginario loci, quæ ex suppositione quod existat determinato tantum spatio, & non alij potest respondere.

Durationem non distingui realiter à re durante, sed eandem entitatem durare per se ipsam nullo alio extrinseco superaddito defendunt Pater Soar supra num. 9. P. Valquez 1. part. disp. 33. cap. 3. P. Mol. 1. part. quæst. 3. P. Val. tom. 1. disp. 1. quæst. 10. p. 3. P. Pereira lib. 1. cap. 1. & 5. P. Hurt. disp. 17. sect. 3. subsect. 4. & ex antiquis Scotus, Gabr. Greg. & Ocham cum aliis plurimis.

§. II.

Omnis duratio rei duranti intrinsece superaddita reijciatur.

Venio primò ad Rubium, & alios, qui durationem rei permanentis totam simul esse, & me eadem duratione heri, & hodie durare defendunt, contra quos efficaciter arguo. Duratio ab his auctoribus constituta indifferens est ut sit in hoc tempore, vel in illo: ergo non est in hoc tempore per se ipsam, neque per ipsam potest subiectum in hoc tempore constituere. Consequentia est eadem, quam aduersarij constituunt ad concedendam durationem superadditam. Antecedens probatur: Hæc duratio heri me constituat in diverso tempore ac me constituit hodie: ergo est indifferens ad hoc ut me constituat in die hodierno, vel heri, quia si per suammet entitatem me in die hodierno constitueret, non posset non me semper in hoc hodierno die constituere, quidquid enim entitati per se ipsam convenit, non potest eidem existenti non convenire in quocumque tempore. Dices hanc durationem esse determinatam ut me successivè constituat in die heri, hodierno, crastino heri in heri, hodie in hodierno, cras in die crastino, ac proinde licet me in diversis diebus constituat secundum diversum diem actu existentem, non idè esse indifferens, ut me in illis constituat prædicto modo. Contra: hæc determinatio, quam habet modus iste non est determinatio in actu secundo ad me in hodierno die actu constituendum, sed tantum in actu primo, ac proinde indiget die hodierno modus ille ut determinetur in actu secundo ad me constituendum durantem die hodiernæ: ergo actu me esse die hodiernæ aliquid aliud distinctum dicit supra modum illum: ergo modus ille non est formaliter duratio. Dices modum illum connotare tempus, seu quidquam aliud extrinsecum, ex vi cuius determinatur in actu secundo ad me constituendum actu durantem in die hodierno. Contra: ergo illud extrinsecum, quod tu dicis determinare modum superadditum ut me constituat existentem die hodierno, & ut ipse actu existam hodierno die poterit immediatè meam entitatem determinare ad existendum die hodierno modo illo secuso: ergo modus omnino est superfluous.

Secundò difficillimè modum istum impugno: Me hodie existentem potuit Deus antecedenter heri corrumpere, suppositis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam: ergo si modus ille, ex vi cuius duro hodie est idem cum modo, ex vi cuius heri duravi, modus ille antecedenter potuit heri corrumpi à Deo: ergo potuit non existere hodie: ergo eandem indifferenciam habet ac mea entitas ad existendum, vel non existendum die hodierno, siquidem potuit existere heri, & non existere hodie: ergo vel modus ille indiget aliquo modo extrinseco ut determinetur ad existendum die hodierno, vel illo non indiget mea entitas, sed poterit determinari ad existendum die hodierno, vel illo extrinseco, à quo determinandus est modus ille: ergo superflue ponitur talis modus, & adhuc positus non potest me determinare ad existendum die hodierno, quia heri indifferens erat ad existendum, vel non existendum die hodierno, sed heri, & hodie est idemmet modus intrinsece sumptus: ergo hodie præcisè si attendatur ad suam illius naturam intrinsecam, modus ille eandem indifferenciam habet. Deum potuisse meam entitatem heri destruere suppositis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam, non potest absque ingenti temeritate negari: an verò possit esse aliqua entitas quæ ex suppositione, quod sit producta non possit per tantum tempus determinatum corrumpi dicam Contr. 6. de anima, Puncto 1. §. 4.

E e Venio

8 Venio iam ad P. Arriagam qui durationem permanentium cum recentioribus constituit in modo essentialiter successiuo rei iam producte superueniente, & ad P. Lugum, qui modum istum successiuum ab actione, ex vi cuius entitas producit non distinguit, contra quos sic argumentor. Deus durat per suam essentiam sine aliquo intrinseco superaddito, & precise per tempus extrinsecum dicitur modò durare in hoc tempore, & crastino die dicitur in alio tempore durare: ergo creatura sine aliqua mutatione intrinseca poterit similiter dici durans in hoc die per aduentum extrinsecum diei hodiernæ & postea poterit dici durans die crastina per aduentum extrinsecum diei crastinæ, eadem semper intrinsecè inuariata. Respondet P. Arriaga Deum per suam entitatem determinatum esse ad existendum in omni tempore, ac proinde non indigere modo superaddito, ut constitutur durans in hoc tempore, quo indiget creatura, quia indifferens est ut duret, vel non duret die hodierno. Admitto discrimen assignatum inter Deum, & creaturam, & adhuc virgo: etiam si Deus per suam entitatem intrinsecè sit æternus, & illi repugnet ex vi suæ intrinsecæ entitatis non esse in aliquo tempore, tamen in actu secundo modò non est in die crastina, neque dies crastina erit in die hodierna, quia esse in die hodierna dicit coexistere hodiernæ diei, & licet Deus semper existat, & intrinsecè semper idem sit, cum dies hodiernus tantum hodie existat, tantum hodie Deus illi coexistat, quia coexistere dicit existentiam utriusque, coexistentis: ergo Deum existere die hodierna, quod est idem, aliquid dicit extrinsecum Deo, per quod æternitas intrinseca, quam Deus habet secum identificatam determinatur extrinsecè ad existendum modò in actu secundo in die hodierna, potius quam in crastina. Hoc posito, sic argumentor: Etiam si Deus sit intrinsecè determinatus ad existendum in omni tempore, & implicet in aliquo tempore, non existere, hic & nunc per aliquid extrinsecum determinatur, ut existat modò die hodierna, potius quam in crastina, & die crastina determinatur ut existat potius in die crastina, quam in hodierna: ergo creatura, quæ omnino indifferens est ad existendum in hoc tempore, vel non existendum poterit supposita illius existentia per tempus extrinsecum determinari, ut potius sit in hoc tempore, quam in illo. Probo consequentiam: determinatio intrinseca non conducit ad extrinsecam determinationem, potius illam impedit, & intrinseca indifferencia non impedit determinationem extrinsecam, sed ad illam conducit: ergo potiori ratione poterit creatura indifferens ad existendum, & non existendum die hodierna, determinari per aliquid extrinsecum ad existentiam hodiernam, quam Deus intrinsecè & ex natura sua determinatus ad existendum in omni tempore: sed Deus non obstante sua determinatione intrinseca ad existendum in omni tempore, modò existit in die hodierna, & non actu in die crastina determinatus ab aliquo extrinseco: ergo potiori ratione poterit creatura ab eodem extrinseco determ. nata existere eadem die hodierna: ergo eademmet creatura, & eadem physica actio poterunt determinari per aliquid extrinsecum ad habendam existentiam hodiernam, vel crastinam, & ad habendam durationem, quam posset non habere.

9 Idem argumentum conficio contra P. Arriagam in creatura, quam ipse ait n. 64. possibilem esse, quæ per suam entitatem duret tempore aliquo diuisibili, ita ut ex suppositione quod sit exitura non possit non existere toto illo tempore: illa creatura, quæ per suam entitatem duraret per integrum annum mense Ianuario non esset præsens mensi Iulio, neque mense Iulio esset præsens mensi Ianuario, & mense Ianuario, & Iulio esset eademmet indiuisibilis entitas: ergo non per suammet entitatem constitueretur præsens mensi Iulio, neque mensi Ianuario, quia si hæ præsentia conuenirent illi entitati per se ipsam semper conuenirent, ac proinde toto anno, in quo eadem esset, omnibus mensibus esset præsens, & mense Ianuario esset præsens mensi Iulio, & mense Iulio præsens esset mensi Ianuario: ergo duratio adhuc in illa creatura, quantumuis fingatur per suammet entitatem durans, dicit aliquid extrinsecum, ex vi cuius creatura determinatur ad existendum potius in hoc mense, quam in illo, ex vi cuius formaliter est huic temporis præsens: ergo duratio intrinseca entitati, siue superaddita, siue identificata cum re durante semper est superflua, & impertinens.

10 Alio modo efficacissimè P. Lugum, & P. Arriagam impugno: Creaturam esse in hoc tempore, & esse in alio est accidens quoddam physicum, siue identificatum cum actione ut ait P. Lugo, siue superueniens rei iam productæ ut tenet cõmunis sententia: ergo ex eo tantum dicor durare hodie quia actu habeo tale accidens: ergo poterit Deus modò facere ut statim durem anno venturo. Probo consequentiam: poterit Deus modò producere modum illum ex vi cuius anno venturo potero durare, vel me conseruare ex vi eiusdem actionis, quæ me poterit conseruare anno venturo, sed eo ipso quod producat talem modum, vel talem exhibeat actionem, me constituet durantem anno venturo: ergo potest modo me constituere actu durantem anno venturo similiter potest producere modum illum, ex vi cuius anno præterito durabam, & me conseruare ex vi actionis, quæ me conseruabat anno præterito: ergo modo me potest præsentem constituere anno præterito. Dices ipsis terminis implicationem inuolui, quia eo ipso quod sim hodie non sum die crastina, neque hesternæ, ac proinde implicat hodie me Deum constituere durantem die crastinam, aut hesternam. Paulisper opperire & absque vlla implicatione terminos explicabo. Existere in hoc die est habere hoc accidens positiuum, seu existere ex vi huius actionis in tua sententia, ex hac ergo intendo in te inferre me posse simul existere die hodierna, & die crastina, quod sic probo: Potest Deus mihi duo illa accidentia, ex vi quorum successiuè possum per te existere die crastina, & die hodierna, simul infundere, vel me simul conseruare ex vi durum illarum actionum: ergo poterit me Deus constituere simul durantem die hodierna, & die crastina: ergo non bene respondabis si dicas ex suppositione quod hodie durem, non posse simul durare cras, quia licet hoc in re verum sit, intendo ego probare verum non esse in tua sententia, & non inferri iuxta illius principia ex eo quod actu durem hodie, non actu cras durare. Sed esto, implicet modi illi, seu illæ actiones inter se coexistentes, ex hoc capite implicabit me existere simul in duobus mēsuris temporis, & posse simul existere die hodierna, & die crastina: non tamen implicabit me non existere die hodierna sed crastina, dum actu dies hodierna & non crastina existit, quod ego in te probare intendo tanquam absurdum ex tua sententia deductum, quodque hæc extorquet ratiocinatio: me existere die hodierna, vel die crastina tantum dicit habere talem modum seu produci ex vi talis actionis: ergo dum existit dies hodierna in illo priori nature, in quo indifferens fuit Deus ad me conseruandum, vel non conseruandum; ex vi talis actionis in qua consistit duratio iuxta sententiam Patris Lugii, seu in illo priori, in quo fuit indifferens ad producendum, vel non producendum modum durationis, quem de facto produxit, ex vi cuius duro hodierno die, potuit se Deus determinare ad producendum modum alium, ex vi cuius duro crastina die, seu ad producendam actionem conseruatiuam, ex vi cuius crastina die me conseruabit, vel ad producendum modum illum, seu repetendam actionem illam ex vi cuius heri duravi: ergo poterit Deus antecederet facere, ut dum existat dies hodierna, non existam ego die hodierna, sed die crastina, vel hesternæ, quarum nulla existit. Confirmatur: Deus produxit in hac entitate hos modos, seu illam conseruauit ex vi harum actionum quibus fuit anno 34. postea modos alios, seu alias actiones, quibus durauit anno 35. & postea alios modos, seu actiones alias, quibus durauit anno 36. Inquiri, cur non poruerit Deus immediatè post modos, seu actiones, quibus durauit entitas anno 34. producere modos, seu exhibere actiones, quibus durauit anno 36. difficile poteris repugnantiam assignare, quam si non assignes in te inferam posse aliquam entitatem immediatè post annum 34. transire ad 36. & cum post annum 34. immediatè succedat annus 35. inferetur necessarid entitatem anno trigésimo quinto durare anno trigésimo sexto.

11 Dices modum istum durationis, siue superadditum rei productæ, siue identificatum cum productione ipsius rei essentialiter respicere hoc spatium, & ita non posse in alio prodnci hoc spatium transacto, & ita repugnare produci modum, ratione cuius hodie duro in alia mensura distincta ab ista, & eadem ratione repugnare modò repeti durationem, quam heri habui, quia iam spatium, cui essentialiter ex natura sua est affixa, transactum est, & modò anteponi durationem, quam habeo crastina die, quia nondum illius

illius spatium aduenit. Hæc solutio destruxit potissimum fundamentum opinionis constituentis durationem superadditam, quia si ad spatium imaginarium patet aditus, latissimus patet campus, quem tela propugnantium, durationes superadditas attingere nequeunt: dicam enim me existere in hoc tempore esse correspondere huic spatio imaginario; & magis, minusve durare esse correspondere maiori, vel minori spatio imaginario temporis, quod acriter impugnant qui durationes superadditas defendunt, ex eo quod spatium imaginarium non est aliquid reale adhuc negatum, sed primum figmentum, quod tantum habet esse obiectiue in intellectu, quod respectu durationis, quæ seclusa omni fictione extrinsecæ, vel intrinsecæ rem afficit, perinde est, ac si non esset. Doctrinam hanc de spatio imaginario temporis verissimam censeo quam de spatio imaginario loci probauit Controuers. 15. Puncto 2. & ita in omnium opinione secludendum est spatium imaginarium: illo ergo secluso dicant qui durationes ponunt esse modos reales, & physicos, cur durationes quibus successiue durat hodie & cras non poterunt inuicem ordine produci, ita ut prius existeret modus, ex vi cuius constituitur cras durans, & postea modus ex vi cuius durat hodie, ita ut prius duraret cras, quam hodie, quod absurdissimum esse, & naturis rerum repugnans esse non nego, sed intendo hoc absurdum, istudque obiectum in se repugnans inferri legitime ex sententia, quæ durationem constituit in modo aliquo ex vi cuius res producatur, vel qui rei iam productæ superueniat.

12 Alio modo qui parum à præcedenti differt, posset dicere durationem, ex vi cuius hodie durat esse essentialiter affixam huic tempori, & ita non posse adhuc antecederet in alio distincto ab isto produci, & sic de omnibus aliis durationibus. Contrà: deficiente hoc motu cælorum & alio loco huiusmodi existente, vel etiam deficiente omni motu, cuius duratio est tempus reale, possem ego habere eandem durationem, quam modò habeo: ergo hæc duratio nulli tempori reali est affixa: ergo ratione temporis realis potuit in quacunque mensura seu cum diuerso ordine prioris, & posterioris ab illo quæ habet cum duratione hesternâ, & crastina produci. Deinde duratio motus non distinguitur ab ipso tempore: ergo dici nequit durationem motus non posse produci cum alio ordine prioris, & posterioris ex eo quod sit tempori affixa. Instari solet exemplo præsentia localis, in quo faciliè disparitatem assigno: esse in hoc loco, vel in illo nihil aliud esse quam habere hanc vel illam præsentiam: ac proinde quocumque Deus velit hanc in me præsentiam producere, dicat esse in hoc loco, quod si simul cum hac præsentia velit aliam in me præsentiam producere, duplici affectus præsentia dicat esse in duplici spatio, quod in re nihil aliud est, quam duplex ubi, seu duplex accidens superadditum esse in me productum, ac proinde sicuti semper liberum est Deo duplicem, vel vnicam hanc, vel illam præsentiam in me producere, liberum est semper Deo me in duplici loco aut in hoc vel illo constituere: De duratione autem non potest ita philosophari, quia si dicatur esse in hoc tempore, vel in illo nihil aliud esse quam habere hoc, vel illud accidens, seu productum ex vi huius, vel illius actionis non potest sufficiens reddi ratio cur Deus non possit producere modò quacumque durationem, & absque vlla interruptione hanc durationem immediatè post illam & me constituere durante anno trigesimo octauo dū reliqua entia durant anno 35.

13 Vltimò posset dici non posse modò produci durationem præteritam vel futuram, neque durationem crastinam immediatè post hesternam hodiernam non intercedere, quia durationes essentialiter petunt hoc ordine produci, & hæc esse priorem, deinde subsequi aliam, & illam posteriorem esse. Contra hanc solutionem insurgo sic. Hæc duratio, quam modò habeo, non petit aliam sibi immediatè antea præcessisse, neque aliam succedere post istam, quia potuit esse prior, & potest esse posterior omnium, quas habebam, potui enim incipere in hoc instanti, & tunc hæc duratio esset prior, & possum desinere in instanti venturo & tunc eadem esset posterior: ergo talis ordo prioris, & posterioris essentialis non est huic durationi. Dices non esse essentialiter absolutè hunc ordinem durationi, sed tantum ex suppositione, quod producendæ sint durationes aliæ, quæ si producantur non poterunt non hoc ordine produci. Contrà: durationes petere hoc ordine produci, cur etiā

si illum exigant non poterit Deus contra exigentiam illarum hunc ordinem inuertere? Secundò cur omnes hæc durationes, quæ cum hoc ordine inceperunt à die hodierno non potuerunt eodem ordine à die crastina incipere: quod si posset contingere, durationes ipsæ indifferentiam haberent ad existendum in hoc tempore potius, quam in illo. Hæc contra opinionem constituentem in modo intrinsecè superaddito rei duranti, siue distincto, siue identificato cum actione, ex vi cuius producitur.

14 Contra opinionem Patris Lugo constituentis durationem in actione essentialiter successiua præter difficultates, quas suprà expendi, obici potest, non esse de conceptu essentiali actionis distingui à termino, & ita posse actionem identificari cum termino ex natura sua immanenti ut absolute de omni actione dicebam Controu. 12. Punct. 1. Secundò difficile in Theologia poterit componi meritum nostrarum operationum, quia cum actus voluntatis qui meritorij sunt formaliter includant actionem, & in hac totum exercitium nostræ libertatis consistat, si actiones sunt essentialiter successiue & singulis instantibus singulæ actiones correspondeant sequitur hominem elicientem actum amoris durantem per octo temporis instantia elicere octo actiones numero adæquatè distinctas, & consequenter octo amoris actus, quorum cuilibet distinctum præmium correspondet, non solum ratione circumstantiæ distinctæ, sed etiam ratione substantiæ amoris, qui secundum substantiam distinctus est in quocumque instanti à reliquis, qui sunt in aliis temporis instantibus, & in opinione Aristot. cum in quacunque mensura temporis existant infinita instantia, infinitos amoris actus eliceret homo, in quacunque parua temporis mensura, in qua amorem eliciat; & cum cuicumque ratione substantiæ actus, est illius duratio sit instantanea, distinctum præmium aliquorum correspondeat, infinitis actibus infinitæ partes aliquotæ gratiæ in præmio respondebunt, & ita homo per quocumque opus meritorium durans tempore valde exiguo infinitam gratiam consequetur, quod absurdum est.

15 Hæc in communi sententia faciliè componuntur, quia ille, qui per integram horam perseuerat in eodem actu, eundem exercet secundum substantiam in omnibus instantibus, & ita cum in primo, & secundo instanti substantia actus non est distincta, non illi correspondet distinctum præmium, neque est peccatum distinctum secundum substantiam, sed tantum illi accrescit malitia aut bonitas ratione circumstantiæ, & cum respectu cuiusque instantis, seu partis proportionalis circumstantia aliquota non sit, ita non illi præmium aliquotum correspondet. Reicienda ergo est sententia P. Lugo, quia præter difficultates, quas patitur totam commouet Philosophiam, ac Theologiam. Tandem utramque sententiam euertent rationes, quas iam exhibeo ad producendum durationem non esse aliquid intrinsecum superadditum.

§. III.

Propria sententia.

16 ASpero cum sapientissimis Patribus Vasq. Soar, Mol. Valen. à quibus sine vrgentissima ratione numquam recedere audeam, durationem non esse accidens intrinsecum rei superadditum, sed eandem entitatem per se ipsam, & per connotationem extrinsecam ad tempus actu, vel potentia existens, durare & constitui in tempore, & in hoc præ alio. Priorem partem conclusionis videlicet durationem nihil reale intrinsecum importare sic probò: eò ipso præcisè quod intelligatur creatura existens, & tempus extrinsecum constituitur creatura coexistens tempori extrinsecum: ergo constituitur in tempore: ergo constituitur durans: ergo non indiget alio accidenti superaddito. Antecedens probò: coexistentia nihil aliud est quam vtrique existentia extremorum coexistentium: ergo eo ipso quod intelligatur existentia creaturæ, & existentia temporis, seu illius possibilitas intelligitur coexistentia rei & temporis actu, vel possibilis. Consequentiam probò, esse in tempore nihil aliud esse, quam coexistere tempori, sed per existentiam rei, & temporis intelligitur hæc coexistentia quocumque alio secluso: ergo quocumque alio secluso intelligitur res in tempore existens.

17 Confirmo eandem conclusionem: entitas ex se indifferens ut duret in hoc tempore vel in illo, in sententia con-

E c 2 stitueret

stituentem durationem superadditam determinatur per accidens illi intrinsece superadditum, ut sit potius in hoc tempore, quam in illo: ergo poterit eadem ratione determinari per aliquid extrinsecum secluso quocumque alio intrinseco. Dices durare esse aliquid intrinsecum, ac proinde non posse creaturam per aliquid extrinsecum determinari ad durandum. Contra: etsi creatura determinetur ad durandum per aliquid extrinsecum, illud extrinsecum non erit totum id, quod dicit creaturam durare, neque tota ratio durationis, quæ essentialiter includit rem durantem: ergo etiam si duratio sit aliquid intrinsecum poterit ultimum determinari per aliquid extrinsecum, dum dicat aliquid rei intrinsecum, quod in mea sententia est ipsa entitas, quæ durare dicitur, quia nihil magis illi intrinsecum. Confirmatur: durare est coexistere tempori actuali, vel possibili, coexistere dicitur existentiam utriusque extremi: ergo dicit existentiam rei durantis illi nimis intrinsecam, & dicit tempus reale actuale, vel possibile: ergo dicit aliquid intrinsecum rei duranti, & aliquid illi extrinsecum, per quod determinatur entitas ad existendum potius in hoc tempore, quam in illo, quod rei duranti nimis extrinsecum est: quid enim mea, dum eandem existentiam habeo huic, vel illi tempori respondere?

18 Arguo iterum pro eadem parte. Si daretur duratio superaddita ante ipsam supponeretur entitas in hoc tempore ergo talis duratio esset superflua. Probo antecedens: ante durationem deberet supponi entitas in actu primo tanquam causa materialis illius, sed in illo priori deberet supponi existens in hoc tempore: ergo ante durationem supponeretur entitas durans. Probo minorem: entitas ante durationem prioritate naturæ debet supponi in aliquo tempore; non in præcedenti, neque in futuro, quæ non sunt: ergo in præsentis. Dices ad durationem recipiendam, ex vi cuius entitas supponitur durans, non debere supponi rem durantem, sicuti neque debet supponi præsens ad recipiendam præsentiam. Contra: entitas ad hanc durationem non supponitur in aliquo tempore, sed sufficit supponi secundum suam nudam existentiam: ergo ex eo quod futura sit illius existentia etiam si modo non sit, poterit modo suam recipere durationem, & modo durare. Dices ad productionem huius durationis in instanti B, requiri immediatè durasse in instanti A, quia durationes petunt hoc ordine produci. Reieci hanc solutionem num. 13. lege quæ ibi scripsi. Alij dicunt ad hanc durationem supponi entitatem prius naturæ existentem in hoc tempore, non positivè, sed negativè. Hos rogo: per quid constituatur entitas negativè existens in hoc tempore: necessum est dici constitui per suam existentiam & per existentiam spatij (do tibi modò esse tale spatium) vel temporis actu, vel potentia fluentis: ergo hæc existentia in tempore, quam tu negativam vocas, dicitur ex parte subiecti entitatem positivam rei durantis, & ex parte temporis, vel spatij entitatem spatij, vel temporis quæcumque illa sit: ergo ex parte subiecti non est negativæ, sed positivæ: ergo nulla alia est necessaria, ut intelligatur entitas absolutè durans per suammet positivam entitatem, & aliud extrinsecum connotatum, quodcumque illud sit.

19 Secundam partem conclusionis videlicet durationem dicere supra entitatem aliquod extrinsecum connotatum facile suadetur, quia duratio hodierna & hesternæ distinguuntur: entitas durans hodie, & heri est eadem: ergo aliquo modo distinguuntur entitas, & duratio, non per aliquid intrinsecum ut probavi: ergo per aliquid extrinsecum. Secundò magis duraui hodie, quam heri duraveram: ergo productior, & auctior est mea duratio hodie, quam heri: non per meam entitatem præcisè sumptam, quia heri, & hodie est eadem: ergo per aliquid distinctum: non intrinsecum: ergo extrinsecum. Hoc extrinsecum esse tempus reale fluens actu vel potentia probatur ex eo quod spatium imaginariū esse non possit, cum sit quid chimæricum, & fictitium: ergo nihil aliud potest assignari, ratione cuius dicatur entitas potius durare in hoc tempore quam in illo, & maiorem vel minorem habuisse durationem. Hanc coexistentiam, seu connotationem magis explico: tempus, ut constabit ex dicendis Puncto 3. nihil aliud est quam partes motus successivè fluentes cum hoc ordine prioris, & posterioris, ita ut in eadem mensura, in qua una corrumpitur, producat altera, & ita perpetuò sine intermissione, & sine aliqua partium coexistentia fluat.

Vnde eo tempore res durare dicitur, cui coexistit, & ita durare hodie nihil aliud est, quam hanc entitatem existere, & existere fluxum partium motus cum hoc ordine prioris, & posterioris, & durare magis, vel minus est, coexistere pluribus, vel paucioribus partibus motus. Dixi enim durare esse coexistere partibus motus actu vel potentia fluentibus, quia ut ego durem hodie non requiritur tot partes motus actu fluere mihi quæ actu coexistere, sed quod possint fluere, vel quod si fluerent mihi possent omnes coexistere, siue absolutè possint, siue non possint: unde etiam si implicaret omne tempus reale eodem modo durare ego per hunc annum, quia ex parte mei omnes partes motus successivè fluentes, quibus annus constat, mihi possent coexistere, & de facto coexistere, si ipse de facto existerent cum ordine prioris, & posterioris requisito ad hunc annum constituendum. Aduerte etiam hanc meam durationem hodiernam non dicere ordinem ad has numero partes motus, quæ de facto sunt, quia si loco illarum aliæ producerentur, eadem permaneret, sed tantum dicit ordinem ad tot partes motus, has, vel illas cum hoc ordine prioris, & posterioris respectu aliarum, quæ sunt priores, & posteriores illis, quæ in hoc ordine constituit tota ratio temporis, ad quod dicit ordinem duratio, ita ut si partes motus, quæ heri præcesserunt partes hodiernæ motus inuerso ordine essent productæ, & illæ quæ prius fuerunt productæ posterius producerentur, & è contra, partes motus, quibus constabat dies hesternus, diem hodiernum constituerent, & diceretur idem dies, & partes motus, quæ hodiernum diem componunt eundem diem hesternum efficerent, quæ aliæ constituerunt, & etiam si partes motus, quæ heri præcesserunt, hodie repeterentur, constituerent diem hodiernum distinctum ab hesternum per diuersum ordinem prioris, & posterioris, ex quo sumitur tota temporis diuersitas, non ex materiali indiuiduatione partium motus, quia per accidens est respectu huius diei constare his, vel illis partibus, & tantum dicit constare tot partium numero cum hoc ordine prioris, & posterioris. Eadem ratione hoc numero instans non dicit hanc numero partem motus, sed unam partem hanc, vel illam cum hoc tamen ordine prioris, & posterioris. Doctrinam hanc meti profundè assige, est enim potissimum fundamentum omnium, quæ in hac materia tractantur, ex qua difficillima solvuntur argumenta.

§. IV.

Difficilis obiectio expenditur, & soluitur.

Obiectio. Durare, est correspondere partibus motus sed 10
eisdem partibus motus possunt respondere hodie, & cras, quia eadem partes motus, quæ sunt hodie potuerunt produci cras & non hodie: ergo possum habere cras eandem durationem, quam habeo hodie: Virgeo, durare est correspondere partibus motus actu, vel potentia fluentibus, pono nullas fluxisse heri, neque hodie, & arguuntur sic eisdem partibus motus, quibus heri potui coexistere possem coexistere hodie, omnes enim posibles partes motus indifferentes erant ut producerentur heri, vel hodie: ergo per ordinem ad partes motus non possunt distingui duratio hodierna & hesternæ, cum partes, quas utraque duratio connotat sint eadem, in super duratio ex parte subiecti eadem est: ergo ex nullo capite distinguitur duratio hodierna ab hesternæ, casu quo nullæ partes motus fluxerint heri & hodie: ergo etiam si fluxerint, quia fluentibus & non fluentibus partibus motus mea duratio hodierna, & hesternæ eadem est.

Ex doctrina tradita paucis possem huic difficultati satisfacere, quia tamen est omnium grauissima, quæ in hac materia possunt occurrere, in illa expendenda aliquantulum immorabor. Rem ita componunt Magistri doctissimi, asserunt diem hodiernum non constitui per hunc motum secundum se consideratum, sed per motum denominatum extrinsecè à partibus, quæ ante illum fluere potuerunt. Vnde tempus hoc non est hæc pars motus, quæ modo contingit, vel contingere potuit, quia eadem potuit crastina die aduenire, ut rectè probat obiectio, sed est hæc pars motus cum denominatione extrinseca, ut ante illam potuerint præcedere tot partes motus, non plures, neque pauciores. Vnde si eadem pars motus, quæ est hodie, sit cras, non erit idem tempus, quia plures partes potuerunt illam crastina 11
die

die præcessisse quam hodie præcessisse possunt. Ex quo inferunt durationem esse, correspondentiam partibus motus, & maiorem vel minorem durationem, esse correspondentiam pluribus vel paucioribus motus partibus: durationem verò hodiernam vel crastinam, esse correspondentiam partibus motus, quam tot partes motus præcedere potuerunt. Acuta satis, & ingeniosa solutio, nihilominus plus coloris, quam succi habere puto, ne me colore decipiat, illam premo, ut videam quid succi contineat. Iuxta opinionem, quæ negat motum potuisse ab æterno procedere, nulla multitudo finita partium motus poterit assignari potens præcedere diem crastinum, quæ non poterit diem hodiernum præcedere, quia motus syncategorematicè infinitus potuit diem hodiernum præcedere, ita ut nullus deur adeò extensus, ut non poterit extensior alius præcedere diem hodiernum: ergo secundum hanc sententiam non plures partes motus potuerunt præcedere durationem crastinam, quam hodiernam: ergo secundum hanc sententiam non potest distingui duratio crastina ab hodierna ex eo, quod plures motus potuerint crastinam, quam hodiernam præcedere: non bene ergo per ordinem ad plures paucioresve partes motus, quæ potuerunt præcedere durationem hodiernam, & crastinam distinguunt hi recentiores, qui negant non posse dari motum ab æterno, & affirmant nullam esse multitudinem finitam partium motus adeò magnam, quæ maior alia non potuerit diem hodiernum præcedere, quod nullus negat. Respondet forsan eiusdem motus ab eodem instanti incipientis plures partes præcedere durationem crastinam, quam hodiernam, & per ordinem ad has durationes distinguunt. Solutio facilis nec minus obvia menti, quam impugnationi perua. Incipere ab hoc instanti vel diuerso, est habere hanc durationem, vel aliam diuersam. Inquiri modo quid sit incipere ab hoc instanti, vel diuerso, quod est inquirere, quid sit duratio, quod non poteris explicare prædicto modo, si enim recurras ad partes præcedentes ante hoc instans vel illud, redit iterum argumentum suprafactum: quod si de tempore dicis habere hanc durationem esse incipere ab hoc instanti, vel illo, nullo habito respectu ad partes præcedentes, idem dicito de mea duratione, & dicito me habere durationem crastinam esse habere correspondentiam tot partibus motus incipientem ab hoc instanti: quod si in hac re difficultatem non exhaurit, neque in illa.

22. Secundò iuxta omnium opinionem solutionem impugno. Potuisse præcedere plures partes motus ante durationem hodiernam, quam ante crastinam, nihil aliud est quam illam maiorem multitudinem partium esse ante durationem crastinam, ita ut partes illæ existant, neque existant, neque extiterint duratio crastina, sed immediate post illas sit exitura, neque alio modo potest explicari quid sit rem hanc præcedere: ergo necessum non est recurrere ad partes præcedentes durationem hodiernam, & crastinam, ut has durationes distinguas, sed poteris asserere durationem hodiernam distingui à crastina, quia hodierna præcedit crastinam, & quia partes motus, quibus duratio hodierna correspondere potest, debent præcedere alias, quibus duratio crastina correspondeat, melius enim explicari poterunt durationes distinctæ per præcedentiam inter ipsas, & inter partes motus ad quas dicunt ordinem quam per præcedentiam aliarum partium motus, quæ præcesserint vel non præcesserint, præcedentia enim respectu omnium est æquæ facilis, vel difficilis explicatu, & proprius distinguuntur durationes per id, quod in se includunt, quam per aliud tertium ab ipsis distinctum: debebat ergo dici durationem hodiernam distingui à crastina, quia hodierna crastinam præcedit, & sic ex ipsis durationibus illarum distinctionem assignares. Si inquiras quid sit duratione hodiernam præcedere durationem crastinam, inquiram, quid sit illam minorem, aut maiorem multitudinem partium motus præcedere durationem crastinam, vel hodiernam? & responsionem quam dederis, tibi reddam, qua aperte cognosces per hunc ordinem ad partes motus præcedentes rem non explicari, sed tantum primo aspectu eludi, & in re terminorum multitudine magis confundi.

23. Rem magis declaro: Dies hodiernus potest habere ante se pauciores partes motus, quam dies crastinus, & dies crastinus

Franc. de Owiedo, Philosoph. Tom. I.

stinus plures quam hodiernus: excessus ille quem habet dies crastinus plurium partium motus illum præcedentium, habet dies hodiernus plurium partium motus ipsam subsequendum, quia si ante diem crastinam potuerunt præcedere plures partes motus, quam ante hodiernum, post diem hodiernum poterunt plures subsequi, quam post crastinum: inquiri ergo, quomodo hi excessus distinguantur. Dices, quia dies hodiernus habet excessum à parte post, & dies crastinus habet excessum à parte antea, dies hodiernus excessum subsequendum post illum, & dies crastinus præcedentem ante illum, quod non poteris amplius explicare: ergo eodem modo poteris dicere durationem hodiernam, & crastinam distingui ex eo quod hodierna crastinam præcedat, & illa subsequatur, hodierna sit ante crastinam, crastina post hodiernam, & quia dum existit duratio A, quæ est hodierna, non est verum dicere, existit, aut extitit duratio B, quæ est crastina, sed tantum dici poterit: existit duratio B: ergo recurrendum non est ad alias distantes partes motus, quæ præcesserunt, in quibus, si alicui minor appareat difficultas, ex eo est, quia rem distantem non ita facile videre potest, quam si propè inspicere multitudinem terminorum maiorem esse agnosceret.

Ad obiectionem respondeo ex doctrina tradita in hoc S. & in fine præcedentis, durare esse correspondere partibus motus actu, vel potentia successivè fluentibus, quæcumque sint partes illæ, plus, minusve durare, esse correspondere pluribus paucioribusve partibus motus actu vel potentia fluentibus. Unde durare per unum annum est actu, vel potentia correspondere mille partibus motus, non pluribus neque paucioribus, ex quo capite præcisè non differunt duratio, quam habui anno præterito à duratione, quam habeo hoc anno, differunt tamen hæ durationes inter se, per ordinem, quem habent prioris, & posterioris, ex vi cuius hæc est posterior, & illa prior, & partes motus, quibus actu, vel potentia correspondeo hoc anno, debent esse posteriores partibus motus, quibus anno præterito correspondebam, vel correspondere potero. Ad maiorem rei explicationem noto durationem hodiernam, & crastinam respectu eiusdem subiecti tantum extrinsecè differre per ordinem prioris, & posterioris vnius ad aliam, quia hæc est prior & illa posterior, id enim dicitur crastinum respectu diei hodierni, quod nondum fuit, sed erit immediate post diem hodiernum, & dies ille, qui immediate ante hunc præcessit dies hesternus dicitur. Ex his solutio facilis est ad prædictam obiectionem, cui respondeo, meam durationem hodiernam differre à mea duratione crastina per ordinem prioris, & posterioris ipsarum, & partium motus, quibus actu vel potentia heri, & hodie correspondeo per quas duratio hodierna, & hesternæ constituuntur.

Ex his facile est durationes distinguere: duratio enim hodierna, & hesternæ, quas ego habui, distinguuntur ratione prædicti ordinis prioris, & posterioris, ut sæpe dixi duratio mea hodierna distinguitur à duratione etiam hodierna Petri non per ordinem prioris & posterioris: sed ratione subiecti, seu rei durantis, quæ simul cum illo extrinsecè connotato durationem constituit, duratio mea hodierna distinguitur à duratione hesternæ Petri extrinsecè per diuersum ordinem prioris, & posterioris, & intrinsecè ratione subiecti distincti.

S. V.

Alia obiectiones solvuntur.

Obiicis primò. Potest existere mea entitas & existere tempus reale, & tamen non coexistere mea entitas, & motus, sed habere diuersas durationes, ita ut ego existam hodie, & tempus cras ergo coexistentia mea entitatis & temporis aliquid dicit distinctum ab existentia utriusque, ex vi cuius constituitur existentiarum simultas. Multos sefellit hoc argumentum præcipue Arriagam n. 12. ubi illud conficit contra spatium imaginarium in hunc modum; potest spatium imaginarium existere hodie, & ego existere cras, non coexistendo spatio imaginario: ergo coexistere spatio imaginario aliquid addit supra meam existentiam spatij. Si termini huius argumenti explicentur, evanescet omnino. Respondeo me non posse existere

Et 3

& existere hoc spatium, seu hoc tempus, quin coexistamus ego & spatium, seu tempus, quia coexistentia nihil aliud est quam duplex extremorum existentia. Ad probationem antecedentis respondeo existere, modò tempus, & me existere cras, non esse tempus existere, & me existere, sed tempus existere, & me exiturum esse, existere enim cras non est simpliciter existere donec veniat dies crastinus, & ante illum tantum est exiturum esse, cum verò cras adveniat, & verè existat quod nunc tantum est exiturum, iam tempus, quod nunc existit, non poterit dici existens, seu existere, sed tantum existisse, id enim tantum simpliciter est existens, quod actu existit, reliqua verò, quæ existant, vel existerint, non dicuntur simpliciter, & sine addito existere, quia existisse, aut exiturum esse non est simpliciter existere. Ex quo inferitur hanc esse legitimam consequentiam: tempus existit, homo existit: ergo coexistit tempus, & homo.

27 Obiicies secundò ex eodem Arriaga: Quælibet entitas est indifferens ad durandum, vel non durandum: ergo duratio distinguitur ab illa. Retorqueo argumentum: Quælibet entitas creata est indifferens ad existendum, vel non existendum: ergo existentia distinguitur ab entitate creata. Non admittet Arriaga hanc consequentiam, & ita non illa nos premere poterit. Respondeo quamlibet entitatem posse durare, & non durare sicut potest existere, & non existere, non tamen esse indifferentem physicè, ad durandum, vel non durandum, sicuti non est indifferens ad existendum, & non existendum, non enim datur subiectum commune utrique extremo, res enim, quæ non durat vel non est in tempore, absolute non est. Secundò, entitas in instanti, in quo est, non est indifferens ad durandum, quia iam supponitur in illo instanti in instanti in quo non est, non potest habere indifferentiam, quia quando non est, nullius indifferentia potest esse subiectum: ergo nunquam potest hanc indifferentiam habere. Poterit tamen dici in hoc instanti entitas aliquo modo indifferens ad existendum vel non existendum in instanti sequenti, seu ad durandum, vel non durandum in illo quod est idè, ex quo tantum inferatur duratione distingui saltè extrinsecè à re durante, quod nos concedimus, non verò deducitur distingui intrinsecè.

28 Obiicies tercio ex eodem: Potuit Deus decernere creare Adamum in hoc tempore, vel in illo tempore: ergo quando decrevit creare Adamum in hoc tempore, aliquid aliud decrevit præter Adam entitatem. Respondeo Deum decernentem creare Adamum in hoc tempore decrevisse aliquid præter entitatem Adam non illi intrinsecum, sed tantum extrinsecum, videlicet creare illum coexistentem huic tempori, seu partibus motus successivè fluentibus cum hoc ordine prioris, & posterioris, seu creare illum aptum coexistere partibus motus hunc ordinem prioris, & posterioris retinentibus.

29 Obiicies quartò, Ad præsentiam in hoc spatio loci requiritur modus superadditus rei præsentis loci spatio: ergo ad præsentiam in spatio temporis requiritur modus superadditus rei præsentis temporis spatio. Respondeo negando consequentiam, quia posito hoc loco, seu hoc spatio, & posita hac entitate, potest hæc entitas non esse in hoc loco, modò enim existo ego & existit locus Romanus, & ego non existo in loco Romano, posito tamen hoc tempore, & hac entitate, non potest hæc entitas non esse in hoc tempore, & ita non indiget alià entitate superaddita, ut ponatur in tempore, & illa indiget ut ponatur in loco.

30 Ultimò posses obicere, Quod homo coexistere partibus motus habentibus talem ordinem prioris & posterioris, casu quo partes darentur, si de facto non dantur tales partes motus, nunc de facto nihil est: ergo non potest per ordinem ad hoc desumi actualis duratio, quia denominatio actualis non potest desumi à forma, quæ actu non est. Respondeo plures denominationes actuales in omnium opinione desumi à formis, quæ actu non sunt, sed fuerunt, erunt, vel essent tali postea conditione: sic ego dico prior Antichristo desumptà denominatione à duratione Antichristi, qui non est, sed erit, & posterior Adamo desumptà denominatione à duratione Adam, quæ non est, sed fuit, & propositio de obiecto conditionato dicitur vera vel falsa ab euentu, qui non est, sed esset, quia denominationes, quæ non important aliquid physicum, sed aliquid morale, desumi possunt ab illo, quod physicè non est, sed tantum moraliter, potest autem dici moraliter esse, quod

physicè fuit, erit, aut esset. Sic contingit in denominatione durationis diuisibilis, v.g. vnius diei, quæ est totum quoddam morale, entitas enim physicè tantum durat in vno instanti, in reliquis autem, quæ dies importat, aut duravit, aut durabit.

In tabis etiam si durasse, aut duraturum esse sit aliquid morale, tamen actu non durare est aliquid physicum: ergo debet dari aliqua forma physica, ex vi cuius entitas constituitur actu durans. Respondeo entitatem in hoc instanti durare dicere entitatem rei durantis secundum se, & hanc esse quid physicum, hanc autem entitatem durare in hoc instanti secundum id, quod dicit durare in hoc instanti distinctum ab hoc, quod est durare in alio instanti, non esse quid physicum in entitate, sed quid morale, videlicet huic entitati accidere coexistentiam cum parte motus habente hunc ordinem prioris, & posterioris, & non alium, quod est nimis extrinsecum entitati, & nulli physica vnione illi connexum, sed tantum purè coexistentia, quæ facit vnum coexistens totum non physicum, sed morale.

PUNCTVM II.

Nonnulla expediuntur de duratione.

Duratio diuiditur in creatam, & incretam. Duratio increta definitur à Boëtio: *interminabilis vite tota simul, & perfecta possessio*. Hæc tantum Deo conuenit, & æternitas dicitur: differt à duratione successiva, quia hæc non est tota simul, differt ab hac, & quibuscumque aliis durationibus, quia æternitas, seu increta duratio est interminabilis, reliquæ verò durationes terminum habent, quia in tempore cœperunt, imò etiam ab æterno incepissent, & in æternum permanerent ab illis summe differret æternitas Dei, quæ ita fuit ab æterno ut non potuerit non esse, neque possit non in æternum permanere, semperque independentem ab omni alio subsistit, reliquæ verò durationes defectibiles sunt, & dependentes, & ita si contigisset aliquam ab æterno fuisse, & in æternum non defecturam esse, hanc perpetuam durationem haberet dependenter à voluntate Dei, qui antecedenter posset illam non produxisse, sicuti de facto modò illam non producit. Hæc ratione sola Dei duratio, seu æternitas perfecta possessio dicitur, quia nunquam potest deperdi. De natura æternitatis latissime Pater Soar. tom. 2. Metaph. disput. 50.

Duratio creata alia est temporaria, alia perpetua. Duratio perpetua dicitur duratio Angeli, & animæ rationalis quæ licet habuerit principium in tempore finem non est habitura: hæc perpetua duratio dicitur æuum. Duratio temporaria est illa quæ tempore incipit, & tempore definit, diuiditur in permanentem, & successiuam: Duratio successiva est illa, cuius partes inter se non coexistunt, sed perpetuè fluunt corrupta hac parte in eadem mensura, in qua illa producit, & sic de omnibus. Duratio permanentis est illa cuius partes sibi coexistunt: hæc in animalibus præcipuè in rationali ætas dicitur, in reliquis verò entitatibus absque villo addito duratio appellatur.

Inquiri posset an possit entitas creata ab omni duratione absolui: quæ difficultas in mea sententia locum non inuenit, quia cum non distinguat durationem à re durante, ita implicat entitatem à duratione separari, sicut implicat à se ipsa secerni. Dices: saltem dicere adhuc in mea sententia extrinsecum aliquid, quod posset à re durante separari, & quod deficiente non esset duratio. Respondeo adhuc extrinsecum hanc connotationem non posse à re durante separari, quia non importat existentiam absolutam alicuius entitatis, sed tantum, quod si existerent partes motus sub tali ordine prioris, & posterioris entitati coexistere, quod supposita existentia rei non potest separari ab illa, eo enim ipso, quod Deus entitatem producat verum erit dicere fore ut aliquæ partes motus cum aliquo ordine prioris, & posterioris tali entitati coexistere, si motus aliquis omni tempore, seu ab æterno fluxisset. In sententia, quæ durationes superadditas rebus attribuit, concedere nemo, posse Deum conferre entitatem absq. omni duratione superaddita: ego verò inreò contra hanc sententiã inferre rem ita posse contingere, quia actio terminata

terminata ad substantiam rei est prior actione terminata ad illum durationis modum, & actio ab hac posteriori est independens, & poterit sine ista subsistere: negabunt id huius sententiae patroni quod modo non impeto, abunde enim cum illis contendi Punct. praecedenti. Vnum est certum apud omnes, entitatem non posse de potentia Dei absoluta à duratione omni absolui, quod si oppositum ex sententia constituyente durationes superadditas inferatur, illatio ex consequentis falsitate antecedentis falsitatem euincet.

4 Similiter inquiri potest quibus rebus conveniat duratio: quae difficultas locum non habet in nostra sententia, quia cum duratio à re durante non distinguitur, necessarii debent dari tot durationes, quod entitates. In opinione admitteute durationes superadditas eodem modo de durationibus ac de praesentis philosophandum est.

5 Tandem posset inquiri, quid sit spatium imaginarium temporis. Respondeo eodem modo, ac de spatio imaginario loci, esse purum nihilum, & tantum habere esse fictitium, & chimericum, quod eisdem rationibus probandum est, quibus usus sum Controversia praecedenti, Puncto 3. contra spatium imaginarium loci.

PUNCTUM III.

Quid sit tempus reale.

1 **T**empus definit Aristoteles his verbis: *Numerus motus secundum prius, & posterius*. Ut definitionem percipias, primò aduerte aliquas partes motus inter se coexistere, alias verò sibi succedere: coexistunt sibi partes motus insidentes diversis partibus mobilis, quibus in eadem mensura mouetur totum mobile: sibi succedunt partes motus, quae indiuisibiliter idem mobile secundum eandem omnino partes, seu easdem partes afficiunt. Rem clarè monstrabit exemplum: Peto ego modò Ecclesiam, dum mouentur pedes, mouentur etiam brachia, & sibi coexistunt partes motus, quae sunt in pedibus, & quae sunt in brachiis: si tamen partes respectu subiecti indiuisibiliter sumpti, siue sit diuisibile, siue indiuisibile inspiciantur, nunquam sibi poterunt coexistere. Ratio est manifesta, dum ego ab hoc loco ad Ecclesiam vsque peruenio, totum corpus, & singulae partes illius plures praesentias acquirunt, ex vi quarum correspondent toti intercedendi, quae est intra hunc locum, & intra Ecclesiam: haec praesentiae diuersae diuersis actionibus producuntur, quae partes motus dicuntur: de his dicimus non posse sibi coexistere, quia praesentia illa, quae afficiunt eandem partem corporis: verbi gratia, eundem pedem, coexistere non possunt, non expelluntur enim mutò ab eodem subiecto, quod in duplici loco esse nequit: quod si praesentia quae sunt termini partium motus non possunt coexistere, neque partes motus, ex vi quarum praesentiae producuntur, quae non possunt à propriis terminis separari. Itaque ex his concluditur partes motus respicientes diuersa subiecta sibi posse coexistere, quia illarum termini videlicet praesentiae diuersae possunt simul afficere diuersa subiecta, quae simul tempore possunt esse in diuersis locis, partes verò motus respicientes idem subiectum coexistere non posse, quia illorum termini videlicet praesentiae distinctae non possunt coexistere in eodem subiecto.

2 Hanc partium successionem extrinsecam esse partibus, rectè probat Soar. disput. 50. sect. 8. ratio praesto adest: partem hanc, pono partem B, esse priorem parte C, dicit duo, partem C non existere dum existit pars B, & immediate postea existere, vtrumque extrinsecum esse parti B, sic probò: partem C non existere dum existit pars B, dicit negationem existentiae partis C coexistentem parti B: sed parti B extrinsecum est coexistere negationi partis C: ergo illi extrinsecum est non existere partem C dum illa existit. Minorem probò: cetera patent: negatio partis C adequatè distinguitur à parte B, & non est accidens illi superadditum: neque aliquo modo afficit partem B: ergo existentia huius negationis extrinseca est parti B: ergo coexistentia cum tali negatione quatenus inuoluit existentiam ipsius negationis valde extrinseca est parti B. Extrinsecum esse eidem parti B, partem C illi

immediatè succedere, facillimè probò. Pars B quae est in hoc instanti, nullo modo dependet à parte C quae nondum est: ergo siue pars C sit futura, siue non sit futura, pars B eadem omnino permanebit: ergo extrinsecum est parti B partem C illi immediatè succedere: ergo haec successio partium extrinseca est omnibus partibus. Idem argumentum fit de parte C cui extrinsecum est immediatè antea partem B praecessisse, quia sicuti pars B non dependet à parte C futura, ita pars C non dependet à parte B praeterita, & eadem esset, etiam si pars B non praeteriisset. Consequens ex his illatum, antecedens explicabit. Infero, quod si Deus vellet actiones omnes, & omnes praesentias, quas ego successiuè exerceo, & acquirò dum ab hoc loco Ecclesiam peto, in instanti producere, & me per repetitas praesentias constituere simul existentem in toto illo spatio, quod percurro ab hoc loco vsque ad Ecclesiam, dum illam successiuè peto, praesentias omnes, & actiones, ex vi quarum producuntur, quae sunt partes motus fore easdem, quas successiuè acquirerem, si nulla praesentia, neque actio productiua illius praesentiae, & actioni, ex vi cuius alia praesentia producitur coexistere, id contingit in motu calefactionis, quia absente contrario fit in instanti, & illo praesenti eadem partes motus, qui in instanti sibi coexistentes producuntur, retardantur, & successiuè fluunt, donec contrarium resistens demouetur.

Ex his facillè definitionem temporis huiusque naturam quisque noscet. Definit Aristoteles tempus: *numerus motus secundum prius, & posterius*, ut significet tempus constitui formaliter per partes, quae sibi succedunt cum ordine prioris, & posterioris, reliquae enim, quae sibi coexistunt, tantum se habent materialiter, & idemmet esse futurum tempus etiam si nulla pars motus sibi coexistere, non enim tempus maius, vel minus, breuius, aut longius, quia motus plures partes sibi coexistentes habeat, sed quia plures habet sibi succedentes, omnes enim partes motus, quae sibi coexistunt instar vnus se habent respectu motus, imò etiam plures motus sibi coexistunt, sicuti modò contingit in motibus distinctorum caelorum iuxta vulgarem sententiam, quae caelos distinctos constituit, omnes illi motus idem tempus faciunt, idem omnino futurum si vnum tantum indiuisibile caeli separatum perpetuò & successiuè moueretur. Id opportunè satis insinuat verbum illud *numerus*, sicut enim quaternarius numerus idem est formaliter, quo quatuor unitates, & quo quatuor millaria recensentur, quando quodlibet milliare fumitur collectiue & indiuisibiliter, sic idem est tempus quod includit quatuor partes motus successiuè fluentes, & quod includit quatuor millaria partium, quando quodlibet milliare dicit partes inter se coexistentes.

Secundam definitionem ab Aristotele traditam, tempus dicit pro materiali partes motus, pro formali ordinem prioris, & posterioris, per quem partes motus in ratione temporis constituuntur ex defectu cuius partes motus sibi coexistentes non diuersum tempus constituunt, quod constituerent, si talem ordinem habuissent, ex quo tota temporis diuersitas sumitur, ita vt si partes motus, quae heri praecesserunt, hodie reproducerentur, quia diuersum ordinem haberent prioris, & posterioris, diuersum tempus efficerent, vt dicebam supra, sicuti eadem materia diuersa composita constitueret, si diuersas formas substantiales reciperet.

Concludo ex dictis tempus nihil reale intrinsecum supra motum dicere, sed tantum extrinsecum. Ita P. Valsq. P. Soar. & omnes, qui durationem à re durante per aliquid intrinsecum non distinguunt. Est expressa sententia Aristotelis, quam his verbis tradit text. 100. *Prius & posterius in motu re quidem ipsa, & subiecto idem sunt quod motus, ratione verò diuersa sunt & motus sunt*. At si diceret prius & posterius nihil addit supra motum, quia eadem partes motus intrinsecè inuariatae, quae priores, & posteriores sunt, possent hunc ordinem non habere, neque sibi immediatè succedere, sed vnā existere simul existente alia. Ex quo infero temus & motum re non distingui, quia tempus nihil aliud dicit, quàm motum & ordinem prioris, & posterioris, sed ordo non distinguitur intrinsecè à motu: ergo nihil est in tempore, quod à motu distinguatur. Haec ratio conclusionem traditam euincit, in qua minoris tantum posset probatio desiderari, quam dedimus. 2. & iterum reddo. Ante omnem durationem super

superadditam intelligitur hæc successio: ergo seclusâ omni duratione superadditâ motus habet partes succedentes, quæ formaliter tempus constituunt. Antecedens probatur: antequam pars B durationem superadditam recipiat, intelligitur in actu primo potens illam recipere, sed non est in actu dum existit pars A, ergo est in actu primo postquam præterit pars A: ergo in illo actu primo est posterior parte A: ergo in illo actu primo habet successionem: non esse in actu primo dum existit pars A, probatur: quia partes motus localis non possunt coexistere: ergo dum existit una non potest esse alia: ergo non est in actu primo ad existendum prior. Consequentio est legitima, quia tunc est in actu primo, pars, quando potest existeret, sed tantum potest existeret quando præcessit alia: ergo tantum est in actu primo quando præcessit alia, posterior illatio firma est, quia esse posterius alio, nihil aliud est quam esse postquam aliud existit: sed pars B est in actu primo ad durationem postquam existit pars A: ergo pars B in illo actu primo est posterior parte A.

6 Ex hac doctrina deprehendes quomodo possit constare, quod docuit Aristoteles, hoc lib. videlicet tempus esse longum aut breue non autem velox aut tardum, motum autem tardum dici, & velocem, quæ videntur inter se non coherere cum tempus & motus idem sint. Rem tene: tempus dicit partes motus omnes sibi immediatè succedentes absque aliqua coexistentiâ vnius partis cum alia, illæ enim quæ sibi coexistunt perinde se habent respectu temporis, ac si essent vnica tantum pars, in hoc autem quod est immediatè partem parti succedere non potest esse maior, vel minor velocitas, sed productior, seu diuturnior successio, quæ tempus magis longum, non magis velox reddet, in motu autem annumerantur partes omnes illius, etiam si sibi coexistunt, vnde cum possint plures, & pauciores sibi coexistere vel non ita sibi immediatè succedere, potest esse motus tardior aut velocior. Quomodo autem id fiat, labor est illorum, qui sententiam Zenonis circa continui compositionem defendunt, quam omnes impugnant ex eo, quod non posset esse motus vnus velocior alio, de quo postea, dum continui compositionem examinabo.

7 Inter motus omnes præcipuè cælorum motus tempus dicitur, quia præ omnibus regularis est, & vniformis, cer-

tus, & fixus, ideo eo vtuntur homines ad alias res mensurandas, possent autem quolibet alio vt, si daretur certus, & fixus, & ita motu horologij, quia aliqualem certitudinem habet, res alias metimur, illumque tempus appellamus, dum horam elapsam esse dicimus, quia tot partes motus horologij transferunt. Sic quilibet alius motus tempus dici potest, non distinctum à tempore, quod constituit cælorum motus, quia cum hic sit perpetuus omnibus motibus coexistit, & cum illis idem tempus constituit; quia vt iam dixi motus omnes coexistentes idem tempus efficiunt, & propter hanc rationem non possunt duo tempora sibi coexistere. Tempora, seu durationes motuum sibi succedentium, quæ idem sunt, distinguuntur inter se per ordinem prioris, & posterioris, sic dies hodiernus ab hesternò distinguitur, quia hodierna dies posterior est hesternâ, quia ordo per ordinem ad ipsas partes motus inter se comparatas rectè explicatur, & necessum non est ad alias extrinsecas mensuras recurrere, sicut in durationibus rerum permanentium, quarum subiectum cum fit totum simul non potest nisi in ordine ad aliud extrinsecum dici prius, & posterius. Hac ratione durationem rei permanentis in ordine ad aliud tempus extrinsecum, quod habeat hunc ordinem prioris, & posterioris concipimus, & durationem motus per ordinem ad ipsum motum, qui ratione partium habet in se hunc ordinem prioris, & posterioris explicamus, etsi vtraque duratio rei permanentis, & motus successui essentialiter dicat ordinem prioris, & posterioris. Potest etiam hic ordo in motu successui per ordinem ad alium motum constitui, quia vnus motus alterius potest esse mensura. Sic ad motum cælorum horologij motum componimus, & huius illum mensuram constituimus. Hac ratione duratio huius motus poterit dici distingui à duratione illius, quia motus hic correspondet partibus prioribus & motus ille correspondet partibus posterioribus alius motus, rectè enim dicimus durationem motus horologij, quæ horam octauam constituit distingui à duratione motus eiusdem horologij, quæ constituit horam nonam, quia hæc partibus posterioribus, & illa partibus prioribus motus cælorum correspondet, licet possemus has durationes distinguere per respectum prioris, & posterioris, quem habent in ordine ad se omni cæli motu secluso, &c.

